

1006.

Dv 3229

1006

~~EDb 2x~~



1006

~~ED 62~~



CONAMEN
MAPPÆ
GENERALIS
MEDICAMENTORUM
SIMPLICIUM
SECUNDUM
AFFINITATES VIRIUM
NATURALIUM
NOVA METHODO GEOGRAPHICA DISPOSITORUM
AUCTORE
GEO. CHRISTOPH. WÜRTZ M. D.



CUM TABULA AENEA.

ARGENTORATI 1778.

Sumptibus Sociorum BAUER & TREUTTEL Bibliopolar.

Superiorum Licentia.

И М А И О
З А Ф Т А М

С Е З А Я З И Б
МЕДИКАМЕНТОВ
СИМФОНИИ

SECUNDUM

С Е З А Т А Т И С Н Е
СИМФОНИИ

МЕДИКАМЕНТОВ ГЕОГРАФИЮ

AUGOTORI

С О О Ч И С Т О Р И Й У Г Р И



С О О Ч И С Т О Р И Й

С О О Ч И С Т О Р И Й

С О О Ч И С Т О Р И Й

ЛЮБИМЫЙ

P A R S I.
DE
P R A E S T A N T I A
METHODI GEOGRAPHICÆ
IN
DELINEANDIS
CORPORUM NATURALIUM
AFFINITATIBUS.

Simplex, veri sigillum!

Primam hanc de geographica methodo partem Speciminis inauguralis loco
jam in hacce academia patria defendi; sed quum ad omnium manus
forte non sit, id iterum repetere non inconsultum duxi.



PROÆMIUM.

Miraberis sane, Benevole Lector ! novam hanc
inauditam methodum, in alia nulla, nisi geo-
graphica arte, usurpatam, & hinc vix non tuum
risum cientes ! Est methodus, quæ mihi æque singularis, mi-
nimeque ad aliquam medicam scientiam applicanda foret visa,
nisi, postquam tam ex doctrina, quam instrumentis, quæ
mihi ex insigni benevolentia largiebatur Celeb. HERRMANN,
Præceptor venerandus, cuius nominis nunquam nisi cum gra-
tissima mente summaque veneratione ero memor, per trien-
nium vel quadriennium sedulò Naturam ipsam per suos meatus
lustraveram, unumque corpus naturale ad alterum, vicissimque

A 2

ab hoc ad systemata artificialia retuleram, insignem inter hæc & priorem multoties discrepantiam animadvertissem, & quam vage hæc ultima sæpe à sacro Naturæ tramite recederent, perspexissem. Non defuere præclara ingenia, quæ, hocce defectu commota, omnem qualiumcunque systematum ductum abrupte hinc recusarunt, & singulatim sua corpora descripserunt (inter quæ solum BUFFONIUM nominasse sufficiat); sed quomodo *ordo ipsorum generalis delineandus*, quomodo convenientiæ tam variae, & decussationum inextricabilis sæpe labyrinthus ad quasdam leges referenda, cum nullis subjugandam se præbeat Natura? — hic nodus Gordius! non autem Alexandri more discindendus, sed in Mappa tali longe lateque displicandus! En mirum, quod vix tabularum geographicarum aliquis *) meminerit, in quibus urbium irregulariter dispersarum, nullique constanti vicinitatis legi subjectarum, aliæ mox huic, mox illi regno propiores, & æque frequenter plurium regionum, quibus interjacent, mores, ac corpora naturalia generum characteres conjungunt! — Eandem analogiam in Differentiatione ipsa fufius explanabo.

*) Nuperime demum, postquam jam prior Dissertatio prelum reliquerat, fortuito reperi, Celeb. Naturæ scrutatorem LINNÆUM in *Philosoph. Botanica* pag. 27. asserere: *Plantæ omnes utrinque Affinitates monstrare, uti Territorium in Mappa Geographica.*



§. I.

Ab omnibus retro seculis primi ordinis Theoretici studia sua atque conamina eo contulere, ut doctrinas, quæ maxime essent abstractæ, nec hinc tam memoriae quam judicio nostro nisi strenuo labore capiendæ, per signa excogitata, imaginationis speculo acceptius exhiberent. Sic Geographi orbis terrarum superficiem uno ictu nostro vultui obvertunt; sic Astronomi confusissimum nobis appaens siderum chaos, nulla arte, nullaque industria nec numerandum, nec delineandum, nec verbis describendum, tandem per efficta simulacra ad quædam genera distinctionesve referre neverunt, quorum ope nunc tanquam optimorum indicum, inter se per diffitissimas terræ regiones colloquuntur; sic Physici omnes corporum motus, facillimo negotio per lineas, vario sensu, angulorum nomine sibi respondentes, accuratissime determinare, suamque licet abstractissimam theoriam, tamen quasi palpabilem reddere dicunt; sic Alchemici quasdam in variis corporibus reperiendas affinitates & in nominum similitudine nondum latentes, nihilominus per signa characteristica designarunt, quo facilius horum ope, nexus totius tunc ipsis cognitæ Naturæ perspicere ipsis daretur; sic Anatomici, sic Botanici, sic reliqui Historiæ Naturalis interpretes, ad artem pictoram configunt, ut corpora sua, per characteres licet jamjam insignita, tamen, ne his imaginatio nimis defatigetur, adhuc grato spectatoris vultui depingant; sic nulli non qualiumcunque scientiarum scrutato-

res, haud spernendo consilio se conspectibus tabularibus extenuendis adstringunt, quibus melius clarusve earum ambitum, variumque per quaslibet partes nexus, ex primo aspectu sibi offerre contingat; sic denique quicunque Materiæ Medicæ cultores, summis viribus anniti debent, ut hanc, inter reliquas fere confusissimam adhuc scientiam, saltem quodam ordine sensibus suis exhibeant, ex quo statim sibi patefiat, quidnam præcipue ex tota Medicamentorum farragine sit eligendum, quod ubicunque cuivis *individua* indicationi præ aliis respondeat.

§. II.

Non mediocre est, quod exinde in omnes animi facultates redundat emolumentum. Ingenium enim nostrum, quod per meditationes, idearumque comparationes diu protractas, & que demum adstringitur, ac artus cuiuscunque opificis ruditer laborantis, ad hoc negotium omnino, omni, quod undiquaque ipsi affluere potest, levamine eget, ut minus per reliqua defatigatum, eo recentiori vigore in ea incumbere possit, quæ præser-
tim suum acumen reclamat. Desudare denuo in rebus, jam-
dudum ab aliis inventis, & omni perspicaciæ lumine illustratis,
est suis progressibus jam motos iterum obvolvere lapides, insa-
num terere tempus, & diei lucernam apponere. Ex his itaque
nihil nostri evadit, quam sagacissime ab aliis inventa, nostræ
modo tradere menti, ac dein casti judicii interventu, debite
cuique loco applicare: hoc judicium autem in scientiis adeo im-
plicitis, qualis est Medicina (præprimis Præctica) non nisi summa
adstringione atque tenore laborabit, dum non solum conditiones,
quemcunque morbum comitantes rite penitare, sed & metho-
dum promptissimo consilio enucleare debet, qua singulas tollat,

nisi reliquæ ipsi sociæ, memoria atque imaginatio, levissimo
nutu suam quæque symbolam conferant, quarum ope istud mu-
niis suis citissime fungi possit. Memoria etenim perquirendis
ideis; imaginatio hisce rite depingendis; judicium denique rite
ipsis ordinandis adstricta, suas functiones omnino turbare, &
in mutuum detrimentum potius quam levamen agere debent,
nisi una ex illis exoneretur, ut alteri novum robur exinde ac-
crescat. Huic rei itaque, ut in Medicina præprimis, arte sum-
mi momenti subveniatur, omni studio atque solertia anniten-
dum. Jaçtatur hæc tot tantisve rebus, ita sibi implicitis, ut
omnis systematicæ tractationis normam ac regulas respuere pri-
mo intuitu quidem videatur, sed si rem altius perquiramus, si
potius de causis quam de effectibus eam investigemus, detegi-
mus tantam in Naturæ legibus simplicitatem, tam infinitam
autem in earumdem applicatione ad varios casus ambiguatatem,
& variationum multitudinem, ut si hanc ultimam sequamur,
mergamur in mari; si priorem, fano oculo lætoque vultu
omnia, quomodo ex iisdem prono alveo fluant, perspicere no-
bis contingat. De Methodo ergo solliciti, qua facile easdem
ideas, quas memoriaræ præprimis subministrare tentamus, omni-
bus suis nexibus vincas nobis ob oculos pingere calleamus,
perquiramus primo Naturæ ipsius systema, & exinde an nostro
scopo quædam affulgeat lux, indefessi investigemus.

§. III.

Per omne tempus, quod agendo triverunt Naturæ motus,
exstitere forsitan mortales, qui hos observarunt, collegerunt &
sensim sensimque ad quasdam leges referre studuerunt; his au-
tem ipsorum intellectui adhuc occultis, ad miracula primi, vel

magicas vires confugerunt, ultra quas non sapuere. Cognitio-
num autem campo per ulteriora secula latius dimenso, rationis
lumine per multifarias observationum comparationes intensius
diffuso, paulatim & quædam convenientiæ in his motibus fuere
detectæ, quibus iterum multiplicatis, suspicari tandem cœpere
eruditæ, dari quædam in Naturæ imperio generalia principia,
sempiterna, constanti lege ordinata, simulque simplicissima,
quæ omnia in illo contingentia, sapientissimo ductu quasi diri-
gerent; nec different per se, sed modo pro diversa in orbe va-
riante conditionum serie atque concursu & necessario sub infi-
nitis aliis faciebus formisque se nobis præbere deberent; ex
quibus demum admiranda Naturæ varietas! Ideoque iisdem de-
tegendas intenderunt omnes nervos, haud fallaci principio, se
tandem eorum interventu ad prima perventuros, e quibus tan-
quam e centro, omnes infinite per orbem, multiplicati &
dispersi eventus diradiarent. Dulci blandaque hac spe igitur fre-
tus systema quisque sibi condere annixus est, ex quo tanquam
ex alto fidere, cunctos huc infra ludentes motus longe lateque
circumspicere ipsi daretur. Effictum autem hocce tribunal, ab
Ægyptiis (primis forsan scientiarum parentibus) ad nos usque
nondum omni perfectionis fulgore potuit superbire; quotquot
enim circa hoc conatus adhucdum epullularunt, totidem fere,
Natura ipsa, tortuosis suis meatibus, ab omni hactenus efficta
systematica norma aberrantibus, elusit. Nequaquam tamen
plane futilis fuit ille labor, fuerunt enim qui uberrime instru-
cti, ex ejus penetralibus recesserunt.

§. IV.

§. IV.

Sic ex innumerarum observationum consensu, tam antiquissimi ævi scriptoribus, PLATONI, ARISTOTELI^a), CICERONI^b) aliisque, quam neotericorum studiis, contigit in Natura observare certam quandam & constantem legem, ex qua non quia (uti ajunt) faciat saltum, sed successivo semper passu ex uno genere in alterum, sat perceptibili mutatione degeneret; hoc est quod *Scalaria Nature* appellantur. Ex hoc principio ergo fuerunt opinati, uno quasi filo totam ipsam cohærere, semperque unum genus, mediante intermedia specie, sequenti esse annexum; sed ab hoc continuo filo, cuncta corpora Naturalia quasi concatenante, Naturam ipsam frequentissime aberrare & hinc omnium systematum in debili mortalium encephalo naturalrum, vinculumve, quibus istam limitare conamur, impudentem esse, optime observarunt neoterici; reperientes, eandem saepe speciem, nulli subjugatam rectilineo ductui, promiscue multis aliis iterum generibus imo & classibus saepe esse affinem. Dantur enim genera, quæ sibi licet quam maxime disparia, tamen in suo sinu fovent unam alteramve speciem, quæ non solum cum propiori genere cognata, sed & cum aliis diffitioribus, vel & saepissime tribus aut pluribus vario affinitatis gradu interjaceat; ita ut si hicce confinium labyrinthus rite oculis exhiberi deberet, minime scalaræ rectilineæ formam, minus retis alicujus regularis, satius autem irregularē & nulli symmetricæ legi subiectam, urbium in Mappis Geographicis distributionem æmularetur. Cernimus enim eandem saepe substantiam.

a) De *Part. anim.* Lib. IV. Cap. V.

b) *Passim de Natura Deorum & divinatione.*

caracteres duobus vel tribus, quin & pluribus, generibus communes gestare, uti urbes, quæ tribus seu quatuor regnis simul interjacent, horum singulorum mores conjungunt; cernimus specierum eidem generi addictarum, alteras huic generi affines, alteras iterum alteri à priori longissime remoto, quemadmodum & conspicimus alias e. gr. Galliæ urbes, Germaniæ confiniores, alias Hispaniæ, alias mari Atlantico, alias Belgis, aliasque iterum Helvetis; quæ singulæ, licet ad eandem Galliam referantur, tamen longissimis intervallis iterum à se invicem distant. Ad hujus exempli instar ex Historia Naturali novimus inter Mammalia, dasypodem testudini affinem, manem lacer-tæ, vespertilionem avibus, cetacea animalia piscibus, quæ singula, licet ad eadem Mammalia referenda, hujus classeos tamen terminos constituunt, quibus eadem, ex vario latere, cum aliis iterum, & quidem diversissimis à se invicem, connectitur classibus. Sic ex Materia Medica, invenimus in classe Aromatum Crocum, qui simul huic aromaticæ vi jungit aliam sipientem, iterumque aliam, qua paulisper resolvit; reperimus porro in eadem Iridem Florentinam, quæ simul & purgat: sed quanto coelo purgandi hæc virtus à sipienti prioris discedat, inter omnes est notum; reperimus insuper Piper, reperimus iterum Nigellæ semen, quorum prius validissime commovet atque ca-lefacit, posterius absque hac vi, solummodo incidit: sic & uberiora adhuc alia exempla possent adduci, ambarum analogiam probantes, sed re potius & specimine, quam vaga verbo-rum ambage eadem sunt demonstranda.

§. VI.

Ut igitur hæc diversissimæ ad infinitum se decussantes con-catena[n]tes, ab assiduis Naturæ vigilibus uberrimis obserватio-

nibus comprobatae, (quas tam saepe innuit Cel. LINN. in suo Syst. Nat. BUFFONIUS, PALLASIU, MÜLLERUS, totque alii; ex quibus aequa ac ex nuda Natura fontes Affinitatum Animalium hausimus in Dissertatione hicce locorum sub Præsidio Illustr. HERMANNI defensa) in quandam ordinem, qui qualescunque inter corpora Naturalia intercedentes affinitates (ne ulla quidem excepta) Naturæ consentaneo modo exhiberet, possent reduci & simplicissime, exactissime, sagacissimeque imaginationi nostræ proponi, jamdiu allaborarunt seduli Naturæ scrutatores; *Methodi Naturalis* nomine insigniverunt eam. Eset hoc omnino jucundissimum, quod unquam humanos oculos ferire posset spectaculum, depingeret nobis uno eodemque aspectu totam nostri globi harmoniam, quale Planiglobium ejusdem longam latamque superficiem delineat; ostenderet, qua ratione unum cum altero connubium iniret, alterum respueret, alterumque iterum exciperet; inspiceres forsan generale, ex quo creationem suam ordinarit Numen supremum, schema, omniumque in hoc mundo observatorum phænomenorum causas legesve; ad Divinitatis ipsius sacras nubes, humillimi mortales forsan accerferemur, conspiciendo, quibus instinctibus totius Universi egregia symmetria, perfectissimum æquilibrium, adæquatus semper idemque per tot secula ordo ac circulus, macrocosmī nunquam non cum microcosmo similitudo, inextricabilis nec sat admiranda specierum in species degeneratio, & æquabilis semper per tam immensam temporum seriem, decidua inter ac iterum renata corpora proportio, servarentur. Miraremur breviter summe attoniti, quod uniformes simplicesve leges ita multiplicem effectum naturalium diversitatem procreare, nostrisque tam diversimode licet variantibus, quam & minimi

cujusque in orbe terrarum degentis animalculi, usibus prospicere possint.

§. VI.

Harum idearum blandiente lepore seductus, ad methodum aliquam detegendam animum adstrinxi, qua singuli hi diversissimi nexus, non amplius in scala quadam systematica, sed in decussationibus potius in Natura ipsa dictitatis, omni luce depingi & per singulos affinitatum gradus delineari possent, & inveni quandam, quæ ni optima, tamen reliquis omnibus præstare, & ad hanc scientiam commodissime, gratissimeque applicari mihi videtur; loquor de Methodo Mappali, cuius specimen in adjecta tabula, Materiæ Medicæ affinitates exhibente, nuncce propono. Est methodus, quæ Mapparum Geographicarum tramitem & constructionem exactissime consequitur, quæ regnorum loco, Genera, urbium autem Species delineat; affinitates per vicinitatem, istarumque gradus per varias hujus distantias designat. Antequam autem hujus præstantiam fusius demonstrem, necesse duco, quam maxime adhucdum usitatas methodos debito jure prius examinare, ut, annon harum aliqua, æquo commodo adhiberi potuisset, investigemus, & hinc omnem novatoris suspicionem à nobis removeamus.

§. VII.

Vulgatissimam, & ad scientias intellectuales summo cum fructu semper adhibitam, reperimus jam apud antiquissimos fere litterarum cultores; scilicet eam, quæ indicando nexus per lineas cohaesionis conjungit & sic unam lineam semper alteri concatenat, usque dum totum sistema coagmentatum. Immensus est fere Auctorum numerus, qui eadem ad tabulas suas syn-

opticas fuere usi, denuoq[ue] adhuc ejus accepimus memorabile exemplar in sagacissima scientiarum nexus sistenti tabula, quam præfixit eruditissimo nostri seculi monumento, *Dictionnaire Encyclopédique*, Ill. D'ALEMBERT. Quadrat hæc felicissime ad omnes veritates fistendas, quæ ex ingenio & systematibus ab hominibus excogitatis emanant, nequaquam autem ad ipsorum corporum naturalium ordinem. Eandem jam adhibuere & ad Medicam artem celebres viri, ut eo clariori luce doctrinas suas menti Lectorum proponerent, eoque gratius ab horum memoria exciperentur; nec spem fefellit eventus, optimas enim præbuit ansas ipsorum ideis explanandis; dico diversis Auctorum ideis, systematibus ye, nequaquam autem unico sempiternoque Naturæ ipsius systemati exprimendo; ad idem genus enim ope lineæ cohæsionis quidem refert, quæcunque ab Auctoribus ad idem referuntur species; sed inter has iterum intercedunt speciales differentiæ & affinitatum gradus, qui æque insulse per eam delineari queunt, ac nexus, quos ut plurimæ sive cum tribus, quatuor vel & pluribus aliis longe dissitissimis generibus iterum alunt; lineis porro nimis infarta est, vitio scilicet omnino superfluo, uti ex posterioribus satius elucescat, & quod gratiam cnicunque tali conspectui, summo jure debitam, aufert; dum non nisi ægra mente talem lineis ubiq[ue] perreptatam tabulam examinamus perlungamusve.

§. VIII.

Ab hac methodo non multum discrepat alia ab antiquis Philosophiæ Scholaſtice Doctoribus forsan excogitata, optime horum divisionibus ac sempiternis subdivisionibus favens; cuiusque interventu, qualescunque subtilitates in scholis suis discipu-

lis inculcare voluere, dilucidissime horum memoriae ac intellectui proponere calluere; sed eadem spernendæ licet fortasse originis encheiresis, tamen nequaquam spernendam lucem multis scientiis apposuit, dum commodissimam se præstiterit conspectibus quarumlibet scientiarum dogmaticarum tradendis: ad Naturam autem ipsam depingendam si quadraret, à viris de hac quam maxime meritis jamdiu fuisse in usum tracta. Celebris hujus seculi Medicus *Job. JUNCKERUS*, omnibus fere Medicinæ partibus sub tabulari forma exhibendis, allaborans, & eandem nostræ arti accommodavit ^{a)}; sed cum præcedenti ac sequenti bustinservit eadem methodus, explanandis potius ab ingeniosis auctoribus inventis systematibus, quam sano Naturæ conspectui tradendo: nec multitudini enim, nec nexui affinitatum, nec harum variis gradibus exponendis satisfacit.

§. IX.

Alia porro datur encheiresis, quam optime *Genealogiam* appellamus, quæque maxime est apta familiarum successivis degenerationibus nexibusve exprimendis: dum scilicet has vel sub forma arboris proponimus, in cuius radice vel trunco affigimus patris familiæ, in ramificationibus autem filiorum, nepotum &c. nomina: vel dum horum cum suo quoque parente nexus per lineas

^{a)} Vix monendum duco, cum *Juickeri* tabulæ Medicorum paucissimos fugiant, me hic intelligere illum modum, quo generaliores distinctiones grandiori quadam littera vel numero insigniuntur, quæque hisce subjectæ, sensim sensimque, prout minus generalia fiunt, magis versus dextram reclinantur; ut eæ distinctiones, quæ sibi respectu gradus respondent, ab eadem perpendiculari incipient, quæ à summa ad imam duci posse effingitur.

ad hosce ductas designamus, & ita totius familiae ramos, (vel in systematibus nostris species versus genera) radiorum instar primos fontes versus concentramus. Huic non plane, ratione principii saltem, incongrua est, quæ Mappali nunc proponendæ primo aspectu haud assimilis videtur Tabula BUFFONIANA, canum affinitates ex progeniei vinculo delineans Tomoque quinto celeberrimi Ipsius operis, *Histoire Naturelle*, affixa; quæ autem longe diverso à meo est superstructa principio; ordinj nimirum eorum genealogico, nequaquam autem affinitatibus naturalibus ex characterum syndrome desumtis: mens enim fuit insigni illi Viro, figere modo distantias ex illo ordine nec ex lege convenientiæ naturalis a): & scòpo suo celebris ille quarumvis tam methodorum quam systematum artificialium osor satisfecisse jam arbitratur, dum ex quarum specierum con-nubio quæcunque progignatur, Lectori suo proponat. Ergo non naturalis ordo in illa perquirendus, sed modo ipsorum Genealogia, & quibus parentibus quæcunque cognata sit species.

Nuperime accepi Tabulam Botanices systematicam sub nomine *Carte de Botanique*, quam ex suo nomine, geographice depictam esse existimavi: sum ratus, Autorem Cel. LESTIBOUDIS, Medic. & Prof. publ. Botan. Insulanum, mecum sibi licet ignoto, eandem ideam circa methodum Naturam candidius tradentem, sovisse; & jam exinde me magni faciens, quod eadem cum viro, aliis insuper nominibus jam celebri, sentire mihi contigerit; ut mihi promptissime ex Lutetia afferatur,

a) Canis enim qui *Dogue*, & alter qui *Doguin* appellatur, non tanto-pere ratione tam habitus integri, quam characterum sp̄cialium à se invicem distant, quam iidem in tabula à se invicem remoti repe-riuntur.

jussi; sed spe fui dolens deceptus, cum viderim, nequaquam rem nomini suo strictissime respondere, sed ad normam systematicam, à characteribus maxime generalibus, ad specialiores sensim descendantem, potius, quam geographicam esse exaratam, cuius ultimæ præstantiam exinde novum fulgorem dignitatemque nocturum fore, lætus antea speraveram. Conjungere tentat Praecl. Auctor, systemata duo, in arte Botanica Celeberrimorum virorum, TOURNEFORTII & LINNÆI; sed cum affinitatibus fistendis nequaquam dicata sit ista tabula, nec complicationes multifarias generum inter se, nec quibus gradibus sibi invicem sint contermina exponit, & hinc cur extensissimas licet Auctoris per totius artis ambitum cognitiones testetur, & maxima cum cura, ad Lectoris uberrimum commodum sit elaborata, ad naturalem tamen methodum nondum accedat, elucescit.

Pari queque cum hac passu meat, quam adoptavit Cel. RÜLING in *Commentatione botanica de ordinibus naturalibus plantarum*. Göttingæ 1766. iisdem virtutibus celebranda, simili autem ratione ad Naturam delineandam non ubique quadrans.

§. X.

Alia est denique delineandi ratio, qua plures lineas perpendicularares ita disponimus, ut inter singulas, notiarum (quas præcipue, ex aliqua scientia nostræ menti tradere studemus) aliquod genus exponamus; ita, ut si Tabulas Synopticas Materiæ Medicæ conscribillare nobis effet animus, inter primas lineas possemus ponere nomen Pharmaci, inter secundas ejusdem patriam, tertias inter, characteres botanicos, inter quartas, partes officinales, & quintas dosin &c. Est hæc inter optimas referenda quæ noticias vulgatissimas nostræ menti suggerere

gerere debent, longe autem abest, ut ad affinitates corporum designandas quadret; inepta quippe & harum diversis gradibus sistendis, & quum idem corpus s̄e plurium generum, vel characteres in Historia Naturali, vel qualitates & virtutes in Materia Medica conjungit, hisce primo intuitu offerendis.

Ad hanc, ratione formæ saltem, aliquantis per accedit, quam à Celeberrimo GEOFFROY de Affinitatibus Corporum Chemicis exaratum tenemus; quæ autem nec ad Historiam Naturalem, nec Materia Medicam applicanda, principio quippe superstruc̄ta ad hasce scientias minime quadranti, & in Chemia ipsa ab omnibus controversiis non libero: nec ad methodum Naturalem accedit, quippe, quas eadem substantia simul cum diversis aliis iterum alit affinitates, nequaquam simultanea vice aspectui proponere callet. Ea ipsa quoque methodus, quam Thesi nostra ante citata proposuimus, minus hisce affinitatum *gradibus* delineandis satisfacit; Dasypodem enim, testudini omnino affinorem, quam reliquis hisce nominibus interpositis generibus non tantopere ab ipsa removissimus, nec Manem à Lacerta, nec Hirundinis species à se invicem; si per tabulae constructio- nem id alio modo licuisset.

Traditis nunc encheiresibus ut plurimum, quantum mihi saltem est notum, usitatis, supersedeo illis quæ minus occur- runt, nec nisi levissime à prioribus recedunt differuntve; ex iisdem enim principiis cum illis refutantur. Ergo id agamus, ut exponamus præcipua, quæ nostræ nunc pertractandæ primas conciliabunt partes.

I. Est simplicior, minus præ ceteris implicita, nec tot linearum interventu eget.

Linearum. Mos fuit in tabulis adhucdum usitatis rerum connexiones per lineas cohæsionis attrahere; sed cur harum linearum turma, si idem & illis absentibus valet indicari? In prima methodo §. VII. & ea, qua fuimus usi in delineanda Tabula Affinitatum Animalium, omnino docentis scopo sunt necessaria; sepositis enim iisdem totum tabulare systema quasi exanimatum, sine sensu & combinatione corrueret: hæ lineæ sunt indices totiusque systematis interpretes, quibus absentibus in merum chaos dilaberetur. Si autem alium subministro indicem, qui æque clare & distincte idem demonstret, & quod istæ methodi rei ipsi heterogeneum, inutile ac onustum afferunt, non egeat, omnino erit præferendus, minoribus quippe sumptibus & incommodis idem attingetur finis. Peccant itaque singulæ adhucdum usitatæ methodi, quod aliquo intermedio uti coactæ sint, à rei ipsius natura aberrante, & quod Corporum Naturallium cohæsioni intermixtum, potius hujus aspectum, quem clarissimum ostendere deberet, turbat. Si vera quidem fateri licet, Methodus Mappalis multo operosior præcedentibus est ordinanti, compositorique, licet benigniorem sese gerat contemplanti: non solum enim hic ad confinia vel connexionem cum quibusdam subjectis, (quæ ibi per lineas indigitantur) respi ciendum, sed an revera, *omnibus*, quæ in eorum viciniam col locantur, in ea distantia respondeant.

Si quid juvaret, nec plane superfluum foret, æque bene lineas à quoque genere ad singula confinia ducere, & ita com

mercium cum quoque indicare possem; sed cum non plus in digitarent quam distantiæ ipsæ, variique harum gradus, fatius eas duco omittendas, aut à cujuscunque imaginatione demum supplendas. Ergo assumo ex prioribus methodis, solum quod cuivis est essentiale, scil. nomina, mitto superfluas & abs re alienas lineas cohæsionis.

II. Gratior acceptiorque inde surgit Lectori aspectus.

Gratior. Si quæ inter varias Aestheticorum, qui ab Aristotele ad nos usque scripsere, disceptationes de pulcro ejusque sensu, reliquis palmam præripuit opinio, est illa, quæ quandam inter corpora statuit convenientiam; & Angli, qui tantopere suavis discordiæ principio insistunt, non respiciunt, suavitatem quamlibet si debeat obtinere, jam leges ipsius pulcri; scilicet hancce harmoniam exposcere. Quicquid ergo componere velis, quod oculis placeat, sensibusque blandiatur, hanc *primo aspectui* statim expone, nec operam intuenti relinque eandem sedulo & magnis perquisitionibus demum enucleandi: quodcunque enim nobis temperat operam, & excitat in nobis met sensum gratum, inter pulcri causas est referendum, & hic obtinet locum. Offrens igitur Lectori meo schema, quod Ipsi momento fidam Naturæ imaginem depingat, qua omnia ejus vincula sine opera atque labore intelligat, circumspiciat, & æque grata per vastum ipsius imperium migret, ac Geographus in Mappa, per totum terrarum orbem, summo jure acceptior ero, dum illaboratæ rei Ipsi non nisi dulces fructus porrigo, quam si, ut suo demum labore hos carpat, Eum perpellerem.

Acceptior. Scilicet intellectui, confusæ enim repræsentationis animum tædet. Multum juvat ad bene ordinandas appli

candasque ideas, ut has primum in congruo ordine nostræ menti repræsentemus, ex quo in debitum nexus iterum conjungere, & ad quemque casum rite adhibere calleamus; judicium enim (tanti in arte Medica momenti) quo naturalior est ordo, secundum quem combinat ideas, eo præstantius censetur; sed si alius industria has ipsi jam ita exponit, ut non nisi combinatio adhuc supersit, multo sapientius postea jam infirmissimus fere tiro easdem applicabit; confusa vero expositione hujus sat infirmæ adhuc vires, primo rei digerendæ, dein ad quemque casum rite referendæ, nimia mole omnino obruentur, nisi inveniatur methodus, quæ res naturales, æque *naturaliter* ejus imaginationi repræsentet.

Cum ergo fructus, cui quæque tabulæ synopticæ adaptantur, scilicet facilis totius scientiæ circumspectio, omniumque per singulas partes vinculorum connexio per Methodum Mapalem, *simplicissime*, omisis cunctis superfluis; *gratissime*, dum convenientiam Naturalem quam proxime æmuletur; & *aceptissime*, dum operæ illam perlustrandi, & menti tradendi neminem pœniteat, obtineatur, quod reliquis omnibus summo jure præferatur, cuique arridebit.

III. Nexus ejusdem substantiæ cum pluribus aliis generibus, (qui antedictis methodis, non nisi cum nimia rerum complicatione sisti potuissent,) commodissime designat, eandem istis interponendo. a)
Sunt multa, quæ varias diversasque vires in se conjungunt

a) Exprimit optime mea methodus ordinem, quo summum in interpretanda Natura nostri seculi ingenium Cel. BUFFONIUS corpora

corpora, nec uni modo generi addicta, sed de pluribus simul aliquid participantia; sic, (ut exempla nunc ex Mater. Med. petam), Piper non solas Aromatum vires exserit, sed & Irritantium; sic Nux Moschata, Macis & Crocus non solum sunt Aromata, sed & sapientia; sic lignum, semen & cortex Fraxini cum Terra Catechu non modo amara, sed & adstringentia; Rhabarbarum non ob solam purgantem, sed & amaram virtutem laudandum; Squilla cum amaritie attenuat; Cortex Peruvianus & Cascarillæ reliqua Aromata amaritie vincunt; sic Manna simul est resolvens; Helenii radix aliquantis per adstringens; sic denique Nuces Behen & Fœnugræcum, non ob solam mucilaginem, sed & ob principium, quod vehunt, amarum, commendanda. — Non omnes hic quidem catalogus ex Materia

naturalia inter se cohædere, post exactissimum scrutinium, longam latamque ipsorum circumspectionem detexit. Audiamus legem, ex qua ordinem naturalem (cujus methodus naturalis non nisi fida imago esse debet) corporumque affinitates repererit; dicit T. XIII. p. 330. (Ed. 4°.) *Assemblons pour un instant tous les animaux quadrupèdes, faisons-en un groupe, ou plutôt formons-en une troupe, dont les intervalles & les rangs représentent à-peu-près la proximité ou l'éloignement qui se trouve entre chaque espèce; placons au centre les genres les plus nombreux, & sur les flancs, sur les ailes ceux qui le sont le moins: resserrons les tous dans le plus petit espace, afin de les mieux voir: & nous trouverons qu'il n'est possible d'arrondir cette enceinte: Que quoique tous les animaux quadrupèdes tiennent entre eux de plus près, qu'ils ne tiennent aux autres êtres, il s'en trouve néanmoins en grand nombre, qui sont des pointes au dehors, & semblent s'élançer pour atteindre à d'autres classes de la Nature. Hæc optime species max, inter plura genera media, exprimunt.*

C 3

Medica comprehendit substantias, quæ plures in se complicitas gerunt virtutes, & quidnam, si alicui non unius modo sed plurium virtutum remedium suadet indicatio, has æque facile, in *eadem* substantia (quo simpliciores enim sunt formulæ, eo meliores) coadunatas animo reddet, ac talis tabula, singularum combinationes repente ob oculos ponens?

IV. Corpora, quæ characteres plurium generum participant, non cum singulis hisce æquo gradu conveniunt; si Ordinem Naturalem itaque pressiori pede secuturi sumus, & hi gradus erunt determinandi, quod nulli autem iterum, præter Mappali methodo datur, tam commode absque verborum ambage sensui exhibere.

Non convenient cum generibus æquo gradu. In Materia Medica enim Crocus minus Aromatis habet quam Melilotus; hic minus quam nux Moschata, & singulæ tamen aromaticam spontemque virtutem in diversis gradibus conjungunt; sic Nunces Behen plus olei vehunt præ Fœnugræco; hoc intensiorem amaritiem præ Sarcocolla; sique ejusdem generis, Amarorum, Emollientium &c. species iterum inter se invicem quam maxime discrepant: & Borax, ex genere Incidentium, nequamquam easdem ex omni latere exferet vires cum Sale communi, nec hoc cum Nitro, nec Sal Ammoniacum cum ambobus; sic ex genere Resolventium nec Cichorii radix in omnibus casibus Sarsaparillæ substitui potest, nec hæc Antimonio, nec Antimonium Rubiæ, nec Rubia Tinctorum cum eodem semper suc-

cessu Mercurio. Hæ differentiæ autem *specificæ* nequaquam as-
fuetis adhucdum methodis æque clare, simpliciter atque digeste
exhiberi queunt ac Mappali; ubi per vicinitates, vel varias di-
stantias, istæ & variii ipsarum gradus dilucidissime insigniuntur.
Sed quantæ utilitatis sit Practicis hos singulos gradus perspectos
tenere, ut cuique ætati, cuique temperamento, cuique mate-
riæ morbificæ vel corrigendæ vel expellendæ; cuique indivi-
duorum compagi, vel robustæ vel tenellæ; quibusvis ap-
plicationis momento obtinentibus in ægroto viribus Naturæ
medicatricibus; vel cuique denique morbi prògressui salutaria
eligere queat, non opus, ut multo verborum apparatu hic
longe lateque demonstrem. Sed quomodo alicujus vis debitus
gradus sananti ad votum subfiliet, quisnam imaginationis tam
parum fallacis gloriabitur, quin hos interdum singulos, in re-
rum angustiis sibi proponere recuset, nisi ad aliud auxilium
confugerit, quo omnes hos fortuitos defectus eludere queat?
Quid autem erit hoc? non erit longa Auctorum sèpe dissen-
tientium turmæ perquisitio; non erit tunc fusa totius doctrinæ
refocillatae perambulatio; sed erit breve totius scientiæ schema
oculo subjectum, ex quo, ob temporis angustiam, primo
aspectu quicquid suo casui præcipue conveniat, carpere possit —
sed quomodo talem typum conficiet, si methodum ignoret,
ex qua rite hasce graduum differentias delineet: hancce deter-
minationem autem non admittent reliquarum quæcunque;
contemplare enim singulas, nonne omnes simul nude crude
ejusdem generis nomina, una eademque linea cohæsionis com-
prehendunt, quæque specialis inter ipsa intercedit differentia,
privato studio industriæque committunt? ut ergo promiscue,
si solas tales tabulas inspiceres, nec exactioribus notitiis esse

imbutus, si indicatio e. gr. aliquod Incidens juberet, cum æquali spe Rad. Imperatoriaæ vel Nitrum, vel Salem Ammon. vel Allium propinare, quia hæc singula ibidem eadem cohæsionis linea tueretur. Ecquid ergo mirum, quod tabulæ nostræ arti adaptatæ, semper fere à quovis prudenti Medico flocci fuerint factæ, nec ullus unquam ipsas magni habuerit, & hinc eo magis ad memoriam suam confugerit, ut sola hæc, quicquid in promptu esse deberet, sibi mox subministraret? sed quantum plurimi spe sua exciderunt, dum postea non amplius, quod justa ratio indicarat, sed sola ista facultas ipsis primo insultu ex aliquo genere suggererat, misero ægroto ad fatum præscripsérunt, & tota Medicina hinc fortis jactatio merito fuit appellata!

Summa autem qua commilitones vincit, prærogativa in eo est posita, ut

V. Corporum varias mixtiones, prouti hæ innotuerre, non rationi, per longas dissertationes & vastum verborum apparatus demonstrat, sed sensibus ipsis gratissime quasi depingat.

Omnia enim, quaquaversus respicias, corpora ad infinitum licet inter se discrepantia, ex iisdem tamen semper principiis sunt conflata, eademque germina in suo gremio fovent. Sunt hæc germina Elementa, quæ, ut inde totus orbis conderetur, creavit Numen supremum, & ex quibus, licet quadruplicis modo generis, tamen per diversissimas conjunctiones, tam admixtum varietatum spectaculum nobis elaboravit. Constant ergo hæ plantæ, hæ fruges, hæ arbores, hæ frutices, hæ algæ; constant

constant hæc insecta, hi vermes, hæc mollusca, hi pisces, hæc amphibia, hi aves, hæc porro Mammalia; constant denique cuncta Regni Mineralis corpora, eadem materia elementisque; differunt sola qua composita deprehenduntur, horum *proportiona*^{a)}. Hanc proportionem ut experimenta dilucidarent, jam diu annixi fuere Chemici; dilucidarunt quidem & verbis expresserunt, nequaquam autem artem detexere, illius differentias uno eodemque intuitu sensibus exhibendi, qua solis oculis, seposito omni ratiocinio, omnes illæ in suo nexu conspici, dijudicari & cuique experimento Chemicō iterum denuo applicari possent: hunc defectum autem luculentissime supplet Mappalis theoria, omnes istas per solum locum indigitans. Po- ne enim quatuor Elementa, ad quatuor plagas cardinales, uti in Geographicis, versus Orientem, Occidentem &c.: cum cor- pora singula horum modo proportione differant, necessario quædam plus terræ, alia plus aquæ, alia plus aëris vel Phlo- gistiæ vehere debent: in quibusunque itaque primam in ma- jori copia reperies, admove propius terræ; in quibus secun- dam, aquæ; tertium, aëri &c. & sic omnes singulasve propor-

a) Hanc veritatem jam pulcre cecinit his versibus *LUCRETIUS de Re- rum Natura* L. I. v. 814. sq.

*Namque eadem cælum, mare, terras, flumina, solem
Constituant: eadem fruges, arbusta, animantes
Verum aliis, alioque modo commissa moventur.
Quin etiam passim nostris in terminis ipsis
Multæ Elementa vides multis communia verbis.
Cum tamen inter se versus, ac verba necesse est
Confiteare & re, & sonitu distare sonanti,
Tantum Elementa queunt permutato ordine solo?*

D

tiones, simplicissimo spectaculo uno quasi puncto coadunatas, levissimo saltu tibi perlustrare continget. Ex hocce principio, in Mappa tali Chemica, Metalla terram inter & principium inflammabile pones, quæque ex hisce plus phlogistæ vehunt, huic appropinquabis, quæ largiorem terram, terræ &c. sic jam omnes differentias Metallorum specificas ad relationes Chemicas tam sapienter applicandas, imaginationi, vel potius sensui ipsi grate depingere callebis: ex eodem principio vitra Antimonii, Saturni &c. Metallis & vitro purissimo seu Terræ interpones; calces, carbones, alcalina, & quibus magnam aëris portionem inesse, testantur Chemici, aëri magis advertes, & Salia aquæ; sic in Materiæ Medicæ Mappa adjuncta, Adstringentia, quæ, uti infra dicetur, multa terra scatent, huic plagæ adjunges; Emollientia, quorum mucilago plus vehit aquæ aërisque, hisce regionibus &c. sic minus evidenti per observationes & experimenta luci tradita reliqua genera, ex affinitate cum hisce certioribus collocabis, totamque tuam Mappam deinde condes. Sed quantæ frugis esset applicatio talis Chemicæ tabulæ ad Relationum doctrinam & experimenta? cum aliquid phænomenon explicare tentas, non jam tuos Auctores demum perlustras, sollicitando, quibus principiis tua corpora conflata ab ipsis censeantur; non jam cum strenuo labore ipsorum sententias combinas, ut aliquid exinde carpas, tuo scopo favens; non jam his singulis defatigatas & sœpe exhaustas vires demum proposito tuo admoves, ut experimentum dijudices, & quicquid hoc tibi stiterit, ad ea referas; sed omne hoc tempus laboremque tibi compendifaceret talis Mappa, in qua solus substantiarum locus tibi jam relativam mixtionem sponderet promptissime dijudicandam, securissime cum reliquis ad

idem experimentum adhibitis substantiis comparandam, & luculentissime rationem largientem, ex qua tibi necessario eos edere debuerint eventus, quos ostenderunt experimenta.

Dum ergo adstas effervescentiæ, quam acidum alcalinis substantiis affusum excitat, non diu libris Chemicorum innidulari cogeris, perqurendis observationibus & experimentis quæ circa ambo instituere; sed statim ex Mappa tibi constabit, alcalina multo aëre turgere; ergo unde hic sub operatione secedens epullulet, non amplius stupidus miraberis: similiter dum vides alcohol acidum Vitriolicum temperare, non amplius obstupestes, ex Mappa tua gnarus, isti præ hoc plus a. uæ inesse, (quam major fluiditas, minorque spissitudo & pondus designant) & huncce effectum perspicaci tunc oculo intelliges. Itaque talis tabula compendium quasi *sensuale omnium qualiumcunque* in chemicis assertorum & iustis experimentis probatorum continebit; ergo clavis omnis Chemicæ Theoriæ evadet, rationesque cunctorum fere observatorum effectuum citissime judicio suppeditabit. Sed quanti usus sit tam vastæ indaginis scientiam uno intuitu circumspectam, & per omnia ejus objecta tam concinno modo illustratam tenere, vestrum est, Medici, ut mecum afferatis!

Totius itaque hujus instituti, totius in investiganda nova affinitatum sifendarum methodo, laboris *Uſus* non erit tam immediatus, quam mediatus; non tam apparens, quam verus; non tam particularibus in Medicina casibus adaptatus, quam omnibus simul prospiciens.

Non est hæc autem in encephali latebris adhuc fermentans idea, quæque ad corpora ipsa applicita, summis iterum difficul-

tatibus pressa, in suspenso iterum manebit; sed ea duce præter hoc primum conamen, adhuc ad Historiam Naturalem pertinentes Mappulas, genera *Linneana* exhibentes, & quas quam proxime in ordinem generaliorem disponam, elaboravi; aliam iterum, in qua singula in Cl. SPIELMANNI Compendio Chemicō recensita præparata, vel pharmaceutica vel chemica, pro suis affinitatibus exposui; nullumque se mihi obtulit commercium, in rerum ipsa Natura latens, quod non ejusdem ope dilucidissime potuissē exprimere atque delineare ^{a)}.

§. XII.

Dum igitur assumo, qualiumcunque in rerum Natura offendendorum corporum differentiam, in sola ipsorum Elementorum proportione esse positam, & eandem sententiam de Medicamentis fovere cogor, ut & de eorundem virtute, in sola ipso rum mixtione latente. Quæ mihi ergo ex pluribus argumentis præ aliis plus terræ fovere videntur, versus plagam terrem magis removeo; quæ plus aquæ, versus hancce & sic de reliquis; dum autem eorum Elementa constituentia singulorumque proportionem per distantiam relativam à quavis plaga designo; designo & simul rationem, ex qua hi effectus medicati eluescunt, in nulla alia re perquirendam, nisi in particulis totam quamcunque substantiam componentibus; sic, dum mihi est notum, principium acre irritare, ex simplici meæ tabulæ aspectu mihi mox patefit, in quonam gradu quodque genus hoc præstet; pro sua nimirum ab eodem distantia: sic dum

^{a)} Hæc cuncta in incunabulis latebunt, usque dum Eruditorum unquam jubere possit desiderium, ut publici juris fiant,

novi qualitates Physicas Terræ; statim ex distantia alicujus generis ab eadem plaga ex priori jam colligere mihi dabitur, quasnam vires mihi hoc idem præstiterit; Adstringentia nempe soliditatem rigiditatemque in fibris suo interventu augere debeare, & hinc roborare, si debilitas à nimio aquoso latice pendeat &c. Has simplices Elementorum vires conjungat denuo tuum ratiocinium in compositas, prouti iterum in vario quadruplici gradu sibi conjunctæ: sic si aliquod genus pari intervallo duabus plagis, acri & terrestri sit interjectum, concludis ad *vim intermediateam* inter æquam roborantem ac irritantem; & sic de reliquis virium commissuris eandem semper legem servantibus: quod nimirum in Mappa mea, quodlibet genus compositam vim gerat, ex quatuor elementaribus quidem conflatam, sed ad eam eo magis accendentem, cui proprius adscriptum: ut ita primo intuitu ad omnes virium combinationes ex sola distantia à quatuor plagis cardinalibus concludere possis, nec vastissima Medicamentorum farrago, tuam memoriam amplius sua mole conquiat.



... etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus. Etiam
quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod
deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus.
Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus.
Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus.
Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus.
Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus.
Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus.
Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus.
Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus. Etiam quod deinceps invenimus.

P R A E F A T T O
C O N S I S T E N T E
P A R S II.
M A P P A
I P S A
P E R
P R I N C I P I A S U A
I L L U S T R A T A.

МАКИЯ
АФФАМ

Invenias primis à sensibus esse creatam
Notitiam veri; nec sensus posse refelli
Qui nisi sint veri, ratio quoque falsa sit omnis.

OVID.

PRÆFATIO.

Contremiscens reformidavi, Benevole Lector! quum prima mihi hujus Mappæ idea subsiliit, infinitum opus, horru late tenebrosum opinionum, experimentorum observationumque chaos, unius arte ac studiis dilucidandum, atque ad omnem ordinis harmoniæque splendorem perducendum; sed me jam-jam labefactatum, bellica iterum voce ad arduum discrimen revocavit emolumenti, & in tui commodum & in publicam salutem exinde redundantis consideratio. Restinxit, ut denuo divino quasi stimulo percussus, omnia, quounque ægro vultu se gererent, obstacula, patrio studio intrepide debellando, superare animum cœperim. Insumsi ergo laborem (ante me adhuc à nemine suscepimus) quantum per leve ingenium comparatasque hactenus in arte Medica cognitiones mihi suppeditatae sunt vires, & eo perduxo, quo nunc tibi offero. Accipe igitur hanc tabulam, novi, temereque tibi propositi generis conamen, examina, perlustra, eamque disquire, sed nonnisi cum ea indulgentia, quam cuique tironi, ad limites adhuc sui inventi, posito utique debes: est opusculum juvenis, quæque adhuc & studium & experientia oculuerint, à tempore, ut mihi in posterum uberiori messe largiatur, etiam atque etiam exspecto; minime immemor, me tibi forsitan magis quam mihi probatissimam correctionem qualiumcunque (si quæ adhuc insint) vitiorum, stricto officio ad vitæ finem usque debere.

E



INTRODUCTIO.

*N*ulla datur Panacea! quotuplici ratione morbi, respectu suæ sedis, incrementi, causæ vel materiae morbificæ quantitatis seu copiæ, cum respectiva ejusdem ad quodque individuum, cujusque ætatem, temperiem, causasque prædisponentes, omnemque dein consensum circumstantiarum in ægroto simul obtinentium, relatione differunt; totuplici modo & variare debemus medicamina singulis adaptanda, totque alios se gerent ejusdem remedii in unumquemque horum statuum effectus! Cum itaque *ejusdem* medicamenti operationes pro infinitis morbidorum statibus infinite sint variæ, & agitur ardua quæstio, ex quoniam ergo principio generales petantur leges, quæ tam de *viribus* cuiusvis *absolutis* certiores nos reddant, quam de majori vel minori alterius cum altero affinitate edoceant. Ardua est omnino, multisque arctissimis nodis implicita quæstio, quæ tot præclara ingenia jam pluries torfit, ex effectibus tam mire saepè disparibus, ad vim aliquam generalem concludere, in dubio suspensa! Incipiam ergo statim in causas, ex quibus quam maxime probabile fiat, ista dramata peragi, inquirendo, ut, an nostro scopo exinde aliquod lumen affulgeat, investigemus; hoc stabilito principio, demum exnucleemus theoriam, ex qua totum de medicamentorum affinitatibus sistema, tam sanæ rationi, quam experientiæ consentaneum erui & hæc scientia in certiorem aliquem ordinem redigi queat.



C A P U T . I.

S E C T . I.

§. I.

De principio actionis medicamentorum.*

Multa per omnia secula de causis effectuum medicatorum fuere dissipata ; horum autem simplicissima ratio in eo mihi delitescere videtur : medicamentum quodque sua gaudet mixtione ; mixtio quævis, in terrarum orbe obversantium corporum sua gaudet *absoluta vi*, quam & *naturam* appellare con-

* Historiæ totius Materiæ Medicæ tradendæ , vel variis quæ de effectibus medicamentorum per orbem tam à veteribus , quam neotericis , fuere divulgata , opinionibus vel probandis , vel refutandis hic plane supersedeo , ne tedium cœpti ex repetitis semper memoriarum veteranis cognitionibus ingeram benevolo Lectori . Leviter ergo modo allegabo , quæ aliquantis per huc spectant , reliqua mittam ; comparet ille , si operæ pretium , aliorum effata cum meis , an placeant , vel displaceant judicet , ac tabulæ hujus nunc temere in scenam productæ vel secundæ vel adversæ fortunæ summus sed simul indulgens sit arbiter .

suevimus; hæc pro varia sua ad alia corpora relatione iterum alia atque alia in hæc edit effecta; hinc & eadem medicamentorum mixtio, humano corpori applicata, & in hoc relativam suam vim exferere debet.

Per physicas leges, medicatos effectus non peragi, inter omnes nunc sanos Medicos constat, quid igitur impedit, quo minus eorum causam à principio nos æque latente, ac id, e quo chemica phænomena emanant, scilicet à relatione (*Report*) corporum respectu mixtionum derivemus! Multo major omnino e Naturæ imperio nobis allucet sapientia, quam ut leges suas eam toties multiplicasse, quoties nos scientias, quibus singulas eas rimamur, possimus autumare; sic examinamus seorsim mechanicas, hydraulicas, hydrostaticas &c. rimamur iterum chemicas, seorsimque physiologicas ac pathologicas &c. Cuncta hæc autem ex uno eodemque principio derivanda esse mihi videntur ex summa, cui semper patrocinari illam conspicimus, simplicitate; quod nos autem adhucdum latuit quidem, sed satius ad chemicorum principium, quam ad ullas unquam physicas leges accedere suspicor.

Cum tot chemicis effectibus tanta cum medicatis insit similitudo; quid dubitamus, amborum causas & à simili principio derivare?

Nullum in rerum Natura corpus extare cernimus, cui non insit ea cum aliis conditio, ut mutare se invicem, inque varios ciere se possint motus; horum autem causam à solis, quas ipso rum mixtiones ad se mutuo gerunt, relationibus derivandos esse, nemo non videt.

Omnino summe singulares sunt, quas sæpe exferunt medicamenta, vires, nec in physicarum legum limites unquam coer-

cendæ: nulla forsan scientia potiora, iisdem explicandis nobis subministrat instrumenta, inque nulla alia arte conspicimus effecta ad nostra proprius accendentia, nisi in Chemia. Quid autem hic tam varia, corporum naturam saepe vel conservantia vel destruentia edit phænomena, *sola* nisi *mixtionum relatio?* Quid igitur nobis dissuadet, ne idem principium (nobis licet adhucdum incognitum) & ad hæc observata referamus, quum nullum aliud in substantiarum ipsa natura altius lateat, nullum aliud rerum doctrinæ magis satisfaciat, nullum aliud denique corollaria, observationibus ac experientiæ firmius innixa post se se trahat?

§. II.

Applicatio ad corpus humanum.

Dum itaque nostram mentem in omnibus iis, quæ in humano corpore aliquid ad hosce effectus conferre possunt, figimus; reperiimus primo istius *mixtionem*, tam in genere consideratam; & in quovis individuo pro varia ætate, sexu, temperamentorum commissura &c. variantem; quam per singulas ipsius partes Viscera, Nervos, Vasa, Humores &c. seorsim examinatum. Hæc mixtio post mortem aliquantis per adhuc eadem manet; & quæ ex medicaminibus, in cadavere aliquid adhuc commutare animadyertimus, per solam suam ad hancce relationem id peragunt. Reperiimus autem præter eandem adhuc *vires*, quæ has partium mixtiones, quamdiu aura vescimur, in perpetuis motibus tenent, modificant, excitantve, ut plane in hoc statu alios edant effectus, ac quietæ per solam suam mixtione, viribus illis destructis, edere queant.

E 3

Hæc modificatio ad effectum, quem tranquilla in se invicem edidissent corpora, commutandum multum omnino confert, dum hæc eadem in perpetuis motibus sustinet. Sic novimus ex physicis, quodlibet corpus, postquam ipsi ab altero aliquo motus fuit impertitus, longe aliud se gerere, quam in statu suo naturali quieto; sic lapis ex alto delapsus miserum conquatit, quem constans placide sibi superimpositum tulisset. Novimus ex chemicis corpora, igni exposita, longe aliter alia iterum excipere, quam ab eodem remotiora; sic multa ab eodem liquefacta, alia attrahere moluntur, quæ frigida repuunt; sic metalla in fusione detenta, sibi affusam aquam longe aliter salutant, quam iterum refrigerata. Novimus denique ex pathologicis, atmosphæræ & vestimentorum potestates in modificandis per solum attactum externis nostris partibus, quo varie hæ materiam perspirabilem excipient.

§. III.

Morem itaque geret medicatus quisque effectus: *Relationi mixtionis*, qua gaudet medicamentum, hujusque intensitatis ac doseos a) ad mixtionem corporis, cui applicatur b), modificatam tam

a) Hic iterum quædam observanda duco, quæ illius effectum, manente licet eadem mixtione, insigniter tamen alterare queunt: qualia dosis, applicandi modus, & præparatio mechanica; (chemicæ enim præparationes istam mixtionem jam aliquantis per commutant.)

b) Hinc in universum, pro varia ætate, sexu, temperamentis &c. vel speciatim pro quavis solidorum, viscerum, vel humorum &c. mixtione, in statu fano, quam in pathologico, (sed idem remedium aliter afficit hominem sanum quam ægrotantem, v. SWIETEN T. I. p. 9.) & in hoc iterum pro varia ejusdem mixtionis degeneratione morboſa, ab eodem remedio alijs atque atius fuscitabitur eventus.

à consensu qualiumcunque circumstantiarum quam virium in ipso tum temporis activarum intensitate ; quam denique mixtione materiae morbificæ, in quam & sapientius agit. Ut itaque inter ejusdem medicamenti effectus tot differentiae specificæ, quot innumeræ varietates mox dictarum conditionum in eodem corpore conspirare possunt: hinc pro varia circulatorii motus vi; pro varia, quam respectu vel qualitatis, vel quantitatis ad solida tenuent fluida, relatione; pro varia cuiuscunque individui irritabilitate; pro varia hujus, aut per materiam morbificam (in febribus acutis, deliriis, convulsionibus aut spasimis,) aut per vires naturæ medicatrices, (in febrium paroxysmis &c.) aut per animi pathemata, intensione; pro varia denique tam vitalium quam animalium virium vigore aut activitate & idem pharmacon in alias atque alias semper abibit partes. c)

Cum nostrorum porro tam solidorum quam fluidorum mixtio semper diversa fit, prono fluit alveo, cur quædam remedia & alias exferant virtutes in altera atque in altera; hinc dantur quædam, quæ agunt specificæ in renes, quædam in uterum, quædam in hepar, (qualia amara), quædam in nervos &c. quædam humoribus sunt destinata, quædam solidis. Hinc & aliqua animadvertisimus, quæ linguae organum aliter, longe quam reliquum intestinorum tractum afficiunt; sic calx

c) Hanc veritatem exemplo probant dicta v. SWIETEN I. p. 9. „ Post æstivos calores summos incensabilis, levi stimulo purgante incitata quam enormes facit sepe dejectiones! sextupla dosis data hydropico languenti fecit nihil; maniacæ furentissimæ à paucis granis scammoni ante hunc morbum in syncopen usque mobili data quinque gr. Mercurii vitæ fecerunt nihil, en effectuum miram varietatem mox indicatæ legi annuentem!

viva se priori sat fatuam præbet, corpus licet ipsum nequaquam tanquam talis salutet; sic arsenicum levius acrem, linguæ incutit saporem, ventriculo licet ingestum mox cruenta sua drama peragat; sic subdola belladonna gustum nullo sapore afficit, vix licet irreptum, lethali sopore, totum mox corruat corpus. Sic ex illorum classe, quæ relative ad materiam morbificam agunt, alia eandem vel corrigunt, si acris fuerit, demulcendo; si acida, absorbendo &c. vel attenuant, incidendo, si mucosa, si alia adsit spissitudo, debite resolvendo; vel denique expellunt, varie eandem derivando. Sed ex eo simul patet, quod cum istius materiae morbificæ mixtio, tam diversimode iterum non solum in singulis morbis, sed & in eodem, saepe inter varia individua discrepet (quod ex Arthritide & Calculo luctulentissime patet) pro cuiuscunque speciali varietate, & aliud iterum debeat adhiberi medicamen, quod per suam, ad quamque relationem quasi specificam, individuo cuivis statui proficit.

§. IV-

Non ergo sola, uti (§. II.) monueram, chemica pharmacorum ad humanum corpus relatio totum producit effectum; sed & huc motus qualescumque in ipso activi conspirant *d)*, qui dum toti machinæ de motore aliquo nisu impertiuntur, hancce simul disponunt, ut acceptior illi evadat quilibet motus, ex chemica relatione oriundus. Ob nisum enim ipsis jamdudum impressum,

d) Hinc omni jure asserit Illustriss. HOME Principi Medic. p. 48. Alimenta & medicamenta non suis & propriis qualitatibus morbos adoriri, sed viribus compositis ex motibus naturalibus & artificiis libus.

impressum, non amplius à medicamentis demum vis inertiae est superanda, sola, quæ *forsan* in mortuis, horum actioni obiciem ponit. Cum per vitales porro actiones nostræ partes aliqua composita vi imprægnentur, quæ ad medicaminum mixtionem aliam gestat relationem, quam post mortem, ubi ad naturalem mixtionis suæ solius vim redeunt cuncta; mutata inter ambo relatione, cur & effectus relativus post obitum debet alterari, in prono est colligere.

§. V.

Quemadmodum ex §. II. dicta lege, pharmacon agit in corpus humanum, sic & hoc ex suis viribus iterum reagit in istud; & ex relatione ambarum in se mutuo agentium virium, surgit composita vis fortiori semper utique propinquior; sic in ea ratione, qua vitales corporis vires prævalent, hæ subigent istud, convertent in suum jus, exque eodem istas modo eliciant particulas, quæ suæ naturæ quam maxime erunt amicæ *e*), aut in suum commodum poterunt converti. In hoc integratatis valetudinisque statu, quæcunque fere porrecta remedia, virium medicatricium interventu (ni has infringant) in prosperum torquebuntur eventum. Sin autem prævaleat medicamen, tunc hoc in relatione, qua potioris juris est, in istud aget, & quidem eo hostilius, quo ipsius naturæ alienius est; id subiget, quæ supersunt adhuc vires, penitus prosternet, inque pejus

e) Ex cibis, si vires coctrices sat valeant, particulæ cujusvis naturæ maxime analogæ, hancque sustentantes, nutrientes, conservantesque eliciunt. Sin deficiant, parantur succi mali, acres, alcalini, pituitosi &c.

cuncta subvertet: corpus ad reactiones quidem momentaneas excitando, sed ut eo defectius iterum delabatur. Sic observamus, innocuum plane medicamentum, sola quantitate sepe exsuperante, in pessima prostertere sanissimum, quod alium ex iisdem revulsit.

Morbi initio levissimo sepe nutu redintegratus sanitatem, quæ non nisi ægerrime revertitur (ni maxime congrua advertamus) cum jam ab illo vel medicaminum iniquorum vi labefactatae fuerint auro carius conservandæ istæ naturæ vires. Hinc statu prope adhuc integro, quodvis fere remedium opitulatur, non tam ex propria, quam potius divina ista medicatrice virtute, quæ licet adæquatum penitus non sit medicamentum, suo ausu tamen omnia in bonum compingit *f).* Alia autem plane exigunt ars, quum in deteriora jam cœperunt ruere res, tum illa silente, nonnisi à Medici sagacitate, quæ selectissima ipsi dictitatet remedia, exspectatur tota humana salus. Illa enim non exactissime casui adaptata, tanquam incongrua, totum suum, corpori alienum exercent jus, superstites adhuc vires frangere peragunt, totumque sistema penitus corruunt; tunc acutissimum in delectu criterium, summae in adhibitione cautæ, summa in levissimas circumstantias circumspectio, summa denique his singulis tuorum remediorum ponderatio! tunc omnino prodest cuncta medicamina per singulos suos gradus differentiasque specificas rite perspecta tenere, ne vel gradu, vel intensitate, vel alia quacunque causa, ex altera parte peccemus, dum ex altera summum solamen moliamur.

f) cf. de hoc Celeberr. WETSCH Medic. ex pulsu Praef. p. XXVII.

§. VI.

Si iners aliquod pharmacon e' nostro iterum corpore secedat, nequaquam hoc tribuendum *inertiae* ipsius *absolutæ*, sed modo ejusdem ad nostrum corpus *relative*; dum nempe prioris mixtio ad hocce talem foveat relationem, per quam nequaquam in mutuos possint cieri motus. In chemicis sic sat multa animadvertis corpora, quæ pia pace se invicem relinquunt, nullamque mutationem moliuntur, ad alia autem iterum relata, insignes ibidem explodunt actiones!

§. VII.

Ex ante dictis porro perspicitur, cur non modo hæc in Materia Medica recensita pharmaca, sed & quæcunque alia naturalia corpora, vel beneficis vel maleficis nosmet afficere possint effectibus.

Ab hac virium relatione respectu mutuae intensitatis pendet & justa dosum determinatio, quarum eadem, (præcipue in heroicis) pro diversis aliorum individuorum viribus, tam sæpe contraria portendit phænomena. Ab hac eadem virium relatione, pendet insuper vel detrimentosi vel salubres quorundam venenorum eventus; si vincunt corpus, consequitur mors; si vincantur, ut in suam salutem hoc ea convertere possit, sanitas. Sola relatio pendet à dosi.

§. VIII.

Nonne ex Idiosyncrasia phænomenis hoc de effectibus medicamentorum assertum überius adhuc illustratur confirmaturque? prouti enim differunt singuloruim individuorum mixtio-

nes, sic & alios se gerere debent effectus remediorum in singulas relativi g). Hinc eadem ab aliis bipedibus summa cum voluptate deglutiuntur, quæ alii iterum summo cum tædio respunnt; hinc qui aliis salutantur intolerabiles vel sapores vel odores, aliis saepe videntur gratissimi; hinc circa ipsos cibos, tam diversæ humanam gentem tenent voluptates, nec ad medicatum eorundem effectum parum saepe conferentes; aliis enim cum saluberrimo fructu alii vescuntur, quos non nisi cum maximis noxis alii ferunt, quorum quotidianus usus alios, eorum longinquier defectus alteros mox iterum in gravissimam labem proripiunt.

Nonne hæc eadem idiosyncrasia nos quotidie aliis vinculis stringit? quæ hodie quam maxime placent, cras removemus æquipollentissimi; quæ hodie gratissima nobis blandiuntur, altero iterum die ne minimum quidem amplius desiderium incutiunt b). Nonne hæc, effectum relativum qualiscunque cibi seu medicamenti ad concursum circumstantiarum viriumque, tunc in nobismet obtinentium, & quovis fere die degeneran-

g) Ex eodem principio derivatur quoque, cur medicamina saepe in variis hominibus diversos imo & oppositos producant effectus & quod peculiari idiosyncrasiae tribuit v. SWIETEN T. I. p. 9. Ed. Lugd. B.

b) Aliud puer optat amatque

Quam matura ætas: nam *qualia corpora*, tales

Sunt plerumque *animi*, & talis plerumque voluntas.

Propterea nunc hoc volumus, nunc illud amamus

Et quæ grata prius fuerant, mox despiciuntur;

Nimirum quoniam corpus mutabile, nunc hos

Nunc illos habitus, diverso tempore sumit.

tium ⁱ⁾ evidentissime loquuntur? Si itaque tam ex priori, ex viribus scilicet naturæ medicatricibus, quam ex posteriori, ex multifariis observationibus regulam quandam stabilire in practicis forsan perutilem licuerit; contenderem: medicamentum quoddam, si casui per medici judicium ac artem specificie quasi adaptatum est, licet per se & sano tædiosissimum appareret, à morbo non solum absque nausea, sed & cum quodam desiderio & voluptate exhaustum iri: cur enim gravidae saepe, quæ alio tempore repudiavissent, fabulum, terram calcaream, argillam & multa alia summa cum voluptate deglutiunt, quæ eis eo momento competit, alio gravissima damna darent? nonne tunc alii functionum consensu subiecta est œconomia istarum interna, quæ inde alias ad idem corpus naturale adipisci tur relationes, solos effectuum vel salubrium vel detimento- forum judices? Quoties ægroti, de quibus fuerat conclamatum, sibi relicti aliquid petierunt, quod ipsorum vires subito ita refocillaverit, ut post excretiones criticas mox iterum rediverit sanitas? quotuplicia de febribus ita sublatis ad Medicorum aures attonitas perforuntur exempla! Ut itaque mihi cum quodam veri specie assumi videatur: vires has naturæ idiosyncrasias, sui remedii prognosticon forsan agnoscere posse Medicum. Quoties faltem homines nauseosa remedia avidissime ebi-

ⁱ⁾ Atqui ipsum corpus mutant complura vel ætas,
Vel tempus, vel casus, item potus, cibus, aër

Non igitur solum objectum, sed corporis ipsa
Conditio nos velle facit diversa — —

PALINGEN. Zodiac. Vitæ p. 161.

F 3

bisse conspexi, toties & hæc salutaria præstissime animadverti, quoties minus, & minus bona frugis fuere; & quales cibi cum voluptate ingesti magis nutriunt & gratius à corpore in natu-ram humanam convertuntur *k*); talia quoque medicamenta rite casui adaptata, fabricæ nostræ acceptiora esse omnesque functiones iis facilius cedere debent, quia *nisi* *conservationis re-spondent*. Sed probe discernendus hic erit appetitus folius lin-guæ, ob gustus gratiam à vehementi totius quasi corporis ap-petentia ac desiderio, vero Medici criterio! — Sed hæc modo conjecturalia! Redeamus ergo ad rem.

§. III.

Experientia probatur, Medicamenta non nisi
relative agere.

Omnis qualescumque medicaminum actiones sunt modo relativæ, testibus purgantibus, quorum eadem alia individua ad frequentissimas, alia ad nullas vel parcissimas sedes pellere consuevere *l*); testibus emeticis, alias largissima dosi demum, alias levissima modo sursum carentibus *m*); testibus frustra vendi-

k) De cuius causa cf. BALLEXSERD (Education physique) wichtige Frage, wie man die Kinder von ihrer Geburtshilfe an &c. p. 154.

l) cf. memoratu dignum exemplum debilis alicujus mulierculæ, quam nunquam nec fortissima ciere valuerunt. LOESECKE Arzney-Mittel p. 119. Edit. 1755.

m) Videmus ipsa purgantia fieri emetica, uti quandoque leniora eme-tica non nisi per alvum agunt; sic & emetica & purgantia sœpe su-doriferi, diaretici, imo emmenagogi, vice funguntur: roborans medi-camentum cortex peruvianus jam anacatharsin adducit, jam solvit

tatis adhucdum contra quemcunque morbum præcipue chronicum, (quos inter arthritidem & rheumatismum allegasse sufficiat,) specificis; quorum alterum huic, alterum modo alteri subiecto profuisse observabatur, virtutem specificam autem generalis experientia penitus denegabat. Nonne à se diversissimæ mixtiones sæpe in eundem tamen conspirare possunt evenitum? quod videre est præprimis in oleis unguinosis omnibus evidenter dosibus ab Emeticis diversis, largiori tamen dosi cum prioribus vomitus carentibus; (multoties Mannam tanquam taalem sese gestare vidi) & sic aliarum mixtionum differentiarum eadem datur observanda ratio. Nonne & ipse Mercurius, celebratissimum antivenereum multis jam suam opem recusavit, aliisque adhuc tristissime recusat: nonne morbus hypochondriacus, cui tamen innumera opponunt resolventia auctores, quotidie adhuc semper novas victimas rapit ad omnes? nonne Cortex Peruvianus solum maxime generale specificum, si materia morbifica immediate ipsi esset debellanda, nec ille hujus effectum, symptomaque modo tolleret, corpus roborando, & cum prioribus una cohorte procederet? sed cum motus iste febrilis, quem sifit in omnibus febribus, fit idem & constans, necessario & constantius præ reliquis suam famam conservat. Membris congelatis nix & aqua frigida apparent tepidæ, ea que calefaciunt, cum omnia ceteroquin sana frigefactent. Loquuntur idem denique vix non omnes Materiæ Medicæ scriptores, quorum singulæ pagellæ talium in contrarium sæpe sensum

alvum: frigida tempestive in febribus adhibita jam emesin, jam catharin, jam diaphoresin, jam diuresin movet &c. WETSCH Med. ex pulsu Præf. p. XXVIII.

varietatum (pro vario morbo eumque comitantibus conditio-
nibus &c.) ex fidissimorum observatorum assertis exhibit
monumenta: ut itaque nil constantius ex doctrina de medica-
minum virtutibus nobis remaneat præter ipsorum mixtionem,
effectus quem semper pro varia ad corpus, cui applicatur, re-
latione mutentur *n*). Venena non esse absoluta sed modo rela-
tiva nunc uno ab observatoribus hisque, qui circa ea experi-
menta instituere, ore asseritur. Idem testantur, ipsorum vel
præstantiam vel virulentiam, in sola tam doseos præscriptæ,
quam casuum differentia esse positam & hinc iterum modo re-
lativam esse, quod ulterius elucescit ex Clar. VOGEL *o*). Relati-
vos porro æquo modo esse effectus, per totum Naturæ ambi-
tum

- n*) Hoc idem testatur Celeberr. HOFFMANNUS Medic. Ration. System.
T. IV. P. I. p. 99. „Plane peculiaris hic fuit Cort. Cascarillæ effe-
ctus, canalem intestinorum efficaciter vacuans, febrisque fomitem
„simul & semel tollens. Is tamen non ubique perpetuus, sed peculiari
„primarum viarum dispositioni tribuendus. Alias inter omnes constat,
„corticem hunc potius ad compescendas nimias dejectiones valere. Ut
„adeo pateat: unum remedium pro diversa naturæ & corporis habi-
„tudine, alium atque alium & diversum; contrarium plane, exferere
„posse effectum“. Idem testatur porro mox citati Tomi P. III. p. 175.
176. „Non mirum est, si unum remedii genus in uno subiecto saluta-
„rem, in alio nullum ac magis nocivum edat effectum. Sic vidimus hoc
„malo (hysterico) affictas, quæ nullo modo graveolentia &c.“ Nonne
porro tempestivus vel intempestivus ejusdem remedii usus vel in ve-
nenatum vel saluberrimum illud convertit? Nonne hæc, ejusdem
operations à sola varia relatione alta voce pendere, proclaimant?
o) Dissert. de insigni quorundam venenorum virtute medica. resp.
Wichm. Gœtt. 1762.

tum assentiuntur quæcunque ceteroquin corpora naturalia. Dantur enim quæ aliis animalibus infesta, aliis vicissim plane proficia sunt. Horum plura passim recensentur Celeberr. LINNÆO *System. Nat.* aliisque naturæ scrutatoribus. Ipse homo à multis graviter afficitur, quæ alia animalia ferunt impune, & alia iterum animalcula cum homine necant. Dermestes lardarius L. viridi aris, hominibus veneno non laeditur, spernit spiritus ardentes, ol. therebinth. & spicæ, camphoram, aloën, absinthium, sed occiditur nicotiana sternutatoria p). Nos purgat helleborus albus, brutis est idem venenum q). Blatta Africana L. summa cum voluptate dilacerat aloën r), quam horret noster gustus, & quæ lupos, vulpes, canesque interficit s). Aquam nos placide tam diætetico quam medicato scopo ingerimus, hydrophobia autem laborantes eandem summa cum nausea reperciunt, & ita horrent, ut solus ejus splendoris aspectus eosdem in rapidas convulsiones corripiat t). Vide ergo quam relative agant corpora externa ad dispositionem nostri organismi præsentem variasque in eodem obtinentes conditio-nes !

Tanta itaque morborum diversitas, tanta individuorum variatio per temperamenta, sexus, ætatem &c. tanta partium id

p) KOELREUTER *Diss. de Coleopt.* p. 11. Præf. SIEGWART. Tübing.

1755. innocue porro in pharmacopoliis erodit Cantharides, quæ paulo prolixius exhibitæ tam cruenta homini movent mala.

q) Celeberr. SPIELMANNI nostri Mat. Med. p. 615.

r) ADANSON *voyage au Senegal* p. 165.

s) HERRMANNI *Cynos. Mat. Med. Ed. Bœcl. T. I.* p. 692.

t) PLATNERI *Instit. Chirurg. ration.* §. 503.

50 PARS II. CAP. I. SECT. I. PRINCIPIUM

nostrum corpus constituentium differentia, tot denique sibi quam maxime dispares in singulis morbis tam internæ quam externæ conditiones & modi, omnino quemcunque hæc singula rimantem, stupido terrore repercutere debent, ne unquam pharmaca in veras virium suarum affinitates ordinare conetur; attamen, si terrore remisso, majori ingenii acumine hæc ipsa disquirat, si animo moderato atque tranquillo perpendat, quomodo hi singuli tam diversissimi eventus à solis variantibus ægroti conditionibus, nequaquam autem à medicamenti ipsius natura mixtioneve dependeant, prono ipsi alveo iterum affluet spes, distributionem genericam pharmacorum condendi; sed affinitati solius ipsorum mixtionis suffultam, nequaquam autem effectuum ad infinitum semper variantium. In quantum enim discrepent reliquæ ad producendam aliquam operationem requitæ conditiones; pharmaci mixtio tamen semper tanquam causa ipsius primaria erit consideranda. Quid enim aliud corpus qualemque constituit, nisi cæ particulæ, quarum congeriem sub nomine mixtionis comprehendimus? ab ea mutata creatur tibi aliud corpus, mutatur ejusdem natura, mutantur vires atque effectus, ergo ad hancce præcipue in tota Mat. Med. debe mus respicere, reliqua quippe cuncta sunt accidentaria, nec generali ori unquam legi subjicienda.

Cum ex sola quatuor elementorum diversa, qua sibi conjuncta tenentur, proportione omnes corporum differentiæ procreentur, ex sola autem ipsorum diversa relatione cuncta item in universo phænomena; cur eidem variæ Elementorum proportionis & effectuum medicatorum differentias deberi negaremus?

Tentemus ergo prolusorie singula, quæ nostro problemati

solvendo felices forsan præbere possint ansas; referamus illa ad summum nostrum judicem, naturam; in quantum quodque cum hacce consentiat, eruamus, exque hoc strenuo examine viam nobis ad occultum illud affinitatum atrium patefaciamus.

S E C T. II.

Principiorum disquisitio, ex quibus medicaminum veræ dijudicari queant affinitates.

§. I.

Classificatio ex ordine naturali.

Post CÆSALPINUM Illustriss. nostri seculi LINNÆO ejusque celeberrimis affeclis, qui ex caræterum in corporibus naturalibus similitudine ad effectuum analogiam concludere studuere, eo quidem summa veritas annuit, quod corpora simili caræterum congerie prædicta, & non solum ex systematum artificium lege sed & revera ex naturali jure sibi similia, per chemicam analysin & similibus principiis instructa esse *u*), multaque alia communia gerere animadvertisimus; sed cum nostrorum generum complicatio nondum fidissima sit naturæ pedissequa, & hinc aliud atque aliud corpus sæpe ad quoddam genus referamus, cum quo quidem ratione quorundam caræterum, quos ex arbitrio non semper ex jussu Naturæ assumpsimus, convenit, nequaquam autem respectu totius habitus suæque mixtionis internæ, (vero convenientiæ naturalis criterio) & claudicat hæc

u) Quod ex plantis Tetradyamicis LINN. &c. constat.

regula non quidem per suum fundamentum sed per defectum
veri omnique dote probatissimi naturalis systematis.

Nonne porro hæc umbellifera, hæc liliacea, hæc amentacea &c. licet characteribus iisdem summe generalibus fruantur, inter se tamen multis intervallis iterum differunt? nonne hæc fat palpabiles differentiæ & circa ipsorum mixtionem sunt statuendæ, cum totus habitus, tota structura omnisque corporum natura huic ultimæ ubivis gerat morem?

Diversæ porro mixtionis sunt ejusdem plantæ partes, in usum nostrum conversæ; sic fructus, cortex, lignum, folia, flores, radix, ejusdem plantæ alia atque alia iterum gaudent mixtione; sic acetosæ radix adstringit, cum herba incidat; sic lignum fraxini minus, cortex & semen magis constringunt; sic fambuci cortex purgat, cum flores resolvant; sic denique Cydoniæ semen emollit, cum fructus ipse adstringat, quod idem & facit Acaciæ succus, cuius flores vicissim ducunt alvum! quid autem valent classes naturales ad indicandas has singulærum partium vires?

§. II.

De Galeni Principio.

GALENI principium, quod per quindecim secula subsequentes scholæ mordicus sequebantur, de quatuor qualitatibus cardinalibus, licet hypotheseos speciem præ se gerat, tamen natum ipsam sanamque veritatem prorsus attingit: sed quam dolendum, insignem huncce & præclarissimum virum istarum combinationum numerum tam arctis limitibus circumscriptisse, cum tot dentur ipsarum proportiones, quot diversitates corporum naturalium.

§. III.

Criteria ex sapore atque odore.

Gustus & olfactus non quidem fallaces, sed nec vicissim infallibiles supremique sunt affinitatum stabiliendarum judices; prioris enim effectus sunt modo relativi, ex particulis à saliva insugendis & ab hac chymice solubilibus ad organum linguæ ^{x)} posterioris, ex volatilibus ad olfactus nervos patentes: cum autem hæ non solæ corpori ingerantur, sed & aliæ nec salivæ immiscendæ nec ad emunctoriij summitatem ascendentes; cum hæ eadem in ventriculo reliquisque partibus forsan alias iterum liquores offendant, à quibus vel melius dissolvi quam à saliva, vel iterum per alium concursum virium ibidem obtinentium alio modo permutari queant; cum porro nostri organismi solida (in quæ hæ particulæ ab inquilinis humoribus solutæ agunt & agere debent) natura sua multum discrepent à gustus vel olfactus organis, ex quo iterum aliæ actiones ad singula relativæ exsurgere debent; cum insuper saporis & odoris classes tam varie sibi saepe implicitæ hæreant, ut earum commissuræ nequaquam distincte verbis possint describi; cum denique ea organa in variis individuis iterum speciatim varient, hinc idem corpus ab uno homine saepe aliud gustetur quam ab altero, & ideo frequenter in lites circa hanc rem simplicissimam abeant auctores; prono fluit alveo, ex hac doctrina minus vera atque ad experientiam ubivis quadrantia posse generali affinitatum doctrinæ affluere argumenta.

^{x)} Horum relativorum effectuum fallacias quasdam recensui Sect. I.
§. II. de Arsenico, Calce viva & Belladonna.

§. IV.

De Observationum fide.

Nec observationes sat multum conferunt ad stabilienda totius Mat. Med. fundamenta; licet enim fidissimæ, semper tamen adhuc fuere relativæ ad individuum quodque cui propinatum fuit medicamentum, ad hujus ætatem, habitum, sexum, prægressam diætam γ) dispositionem sæpe hæreditariam, temperiem, materiæ morbificæ naturam in singulis individuis iterum diversam α) totumque in momento, quo fuerat exhibitum, corporis statum; virium nempe naturalium vigorem; stadium morbi; quibus tunc totum tam vitalium quam animalium functionum systema subditum fuerit, affectiones, in universum denique ad totum in quocunque subiecto se alium habentem conditionum consensum.

Nullus non hæc nimis subtilia proclamabit, nisi cuius spem, hisce considerationibus neglectis, in uberiori praxi, remedia, ab exquisitiissimis auctoribus contra aliquem morbum vendita, multoties jam fetellerunt!

Gentium, regionum climatumve prioribus iterum accedit ducenda ratio; quæ enim alteris conducunt, sunt alteris aliena viceque versa α); per Galliam habetur alia victus ratio quam per Angliam, sunt alii physici mores, adeo denique alia ciborum inquilinorum à climate modificatio, Germani sic hisce respectibus differunt ab Hispanis, Hispani ab Italibus, & sic per

γ) cf. GAUB. de meth. concinn. form. p. 22. &c.

α) Hujus exempl. dat podagræ materies jam dudum specifico aliquo debellata, ni obstaret ejusdem disparitas.

α) cf. exempla GAUB. de concinn. form. p. 22. &c.

totum Europæ tractum animadvertes hanc, humani generis in alias atque alias structuras physicas degenerationem! quid enim obstatet, quo minus ex tanta temporum serie, qua medicamenta tollendis morbis exercentur, quemlibet fere morbum, tam ingenium nostrum, quam ars, tam observationes quam experientia specifico quodam adhucdum debellassent? si enim aliqua ex conditionibus, sub quarum concursu medicamentum quoddam alteri observatori successit, in alterius tentamine abfuerit vel contraria saepe adfuerit, spe sua ultimus circa virtutem à priori venditatem deceptus excidit.

Nullum omnino dubium admittit, quin eadem medicamina sub iisdem conditionibus & semper eundem eventum portendant, sed cum haec unquam vix in natura sibi sint parallelæ, ratio elucescit, cur tam saepe, indicatae ab auctoribus vires decipere debeant. Diversissimæ indolis remedia quandoque in eundem conspirare posse fructum, patefaciunt luculentissime tam variæ frequenterque sibi oppositæ, quæ ab antiquissimis ad nostros usque medicis iisdem debellandis morbis usurpatæ fuere methodi & adhucdum inter Practicos ad infinitum fere variant; quarum vero quamlibet toties fere abstulisse morbos, quoties ægrotos vel lætos vel tristes animadvertisimus b).

b) Audi de hisce Celeb. WETSCH Med. de pulsu Præf. p. XXII. „ Of
„fendi medicos, qui non nisi numero venæctionum confidebant in
„acutis curandis: alios, qui nunquam solvebant venam, vel rariſſi-
„me, quosdam, qui fere in omni morbo emeticum dabant, alios,
„qui quædam Ipecacuanhæ grana non nisi tremula exhibebant manu;
„summos colicarum dolores in uno oleosis curari, in aliis, mochli-
„cis animose adhibitis perfecte sanari vidi: in una regione potum
„calidum exhibent medici, dum in altera frigefactam glacie aquam in

Experientia porro claudicat eo, quod effectus propriæ & re vera à medicamine provenientes vix ab eis, quæ à Natura ipsa ejusque salutaribus adminiculis producta fuere, probe discerne-re calleamus. Hinc omnibus & singulis observationibus non est fidendum, summum quippe criterium latet in arte, qua quis-que observator debet esse imbutissimus, ut distinguat effectum alicujus remedii immediatum à causis accidentalibus, quæ eum aut promovere aut auxiliare potuere, utque noscat, qualis tunc præcipue necessaria fuerit vis effectui ita progignendo, ne me-dicamentum alia insigniret vi, quam ex qua istum peregerit; sed quis singulis observatoribus susciperet verum statuere pre-tium?

Nonne à volatili aquoso recentium plantarum sæpe virtus exspectatur, quam inepte quereres in exsiccatis? cum volatili calido ex lacte recenter emulso & abit simul in auras summa hujus virtus medicata; idem præstant & vapores sive spiritus (uti vocant) ex animalibus enecatis eructantes, qui tanquam re-solventes & demulcentes pertinacissimos sæpe sustulere morbos. Qualia hæc levissima, insignes sæpe generare queunt eventus, talia quoque in qualicunque alia medicata actione, impercepti-biles tales in ægroto præsentes conditiones eam vel ad summum intendere vel penitus obtundere queunt, & hinc cautus sis in derivandis tuis effectibus à quaque tibi visa causa! Ut

„acutis porrigit; oppositas has methodos etiam hodie videre con-
„tingit; jam de aliis tacebo, quæ variis in historia medicinæ epochis
„celebrabantur: quælibet suas pro se rationes habet, quælibet non
„obscuræ experientiæ non raro in una eademque regione, non raro
„in una eademque urbe testimonia; non ex una omnes mori vidi,
„neque ex altera sanari.“

Ut medicamentum alteri simile ratione virtutis naturalis, internæ, absolutæque per observationes medicas statui possit, requiritur, ut ambo non solum in eodem morbo, sed sub iisdem ægroti conditionibus, eadem temperamentorum compagine, eadem ætate, eodem sexu, eadem præterita viætus ratione & causis prædisponentibus, eadem morbi sede, eadem dosi, & eodem, dum applicatur pharmacon, in toto corpore obtinentium conditionum, virium & naturæ conaminum consensu fuerint adhibita. Constat enim pro vario morbi stadio, ejusdem incremento vel decremento, pro varia symptomatum cooperatione aut naturalium virium renisu, vel à morbifica causa modificatione harum, vel ægroti, tam ante, quam post exhibitionem, regimine c) idem medicamen in varias abire partes. Tunc demum ergo, quum hæc cuncta ita concurrent, duæque substantiæ eundem tibi largientur effectum, ad veram amborum affinitatem naturalem concludere poteris. Æque rara autem ac hæcce simul in duobus ægrotis obtineant, æque parcus sis quoque affinitatibus duorum pharmacorum secundum observationes stabiliendis !

In libris porro quidem venditatur & omni ambage enarratur, quoties aliquod pharmacon quandam præstiterit virtutem, sed sedulo tacetur, quando eadem fuerit recusata; cum tamen omnino sim certus, numerum effectuum negativorum, si cuncti publicis litteris mandarentur, affirmativorum sat prope æquare ni supereret. Observatores multi in eo sunt, ut quicquid sibi prospere cesserit, in ejus laudes statim erumpant, sed suæ

c) Hoc enim sæpe auget vel minuit, vel mutat, vel destruit medicamenti actionem.

famæ aliquid derogare imaginantur, si medicamentum sibi virtutes proclamas denegasse publice faterentur, cum tamen posterius eadem cum certitudine nosse intersit ac prius. Hæc cum sit veritas vix non omnibus Practicis nota, venia mihi detur, quin observationibus tanquam oraculis asserta mea circa pharmacorum affinitates superstruere dubitem, & si quædam fortasse in Mappa mea proposuissim quæ istis contradicerent, non ex hoc solo argumento concludendum esse, velim tibi persuades, censum ista mereri.

§. V.

De adminiculis ex Chemia.

Qui ad chemicam analysin confugerunt celeberrimi viri, probe perspexerunt, cuncta in se invicem corpora ex alio nullo principio agere posse nisi ex sua mixtione; quo differt enim quodvis ab altero, nisi hac eadem? nonne per hanc solam suas in reliqua vires exferere testatur tota chemicorum experimentorum cohors? Sed eo peccarunt, quod sibi persuaserint, eam per analysin erui casteque determinari posse; minime enim huic scopo satisfaciunt encheireses, quæ nexus principiorum divellunt, quæ ingredientia aliter afficiant, quam antea in corpore delitnerunt *d)*, quæ principia alio modo evolvunt, ac antea in corpore hæsere, evoluta quæ rarissime pura educta nobis largiuntur, sed hæc ut plurimum mutant; quæ denique singula per analysin seorsim detecta non iterum in unam massam quasi conglutinant, ut ex eorum congerie surgens, composita vis erui possit; sola, ex qua aliqua ad substantiæ integræ

d) De hocce quoque Celeberr. SPIELMANN Inst. Chem. p. 199.

effectus corollaria deducere possemus. Si enim sal commune in acidum & alcali dispescis, potesne ex effectu, quem vel acidum vel alcali exinde abstracta, *seorsim* in nostrum corpus edunt, ad actionem integri salis aliquid inferre? an edit hic aliquid cum vel acidi vel alcali viribus commune? Si ex tartaro obtines spiritum, oleum atque sal, illustrant ne tibi eorundem singulorum vires, quas tibi exserit tartarus ipse? nequaquam; ergo ex ingredientibus per chemicas encheires extortis, nulla ferre ratione aliquid fani, ad integrorum corporum vires referri valet *e*).

Sed nequaquam, referes, opus, ut substantiae integræ mixtionem perspectam teneamus, dummodo eas norimus particulas, quibus ineft virtus medicata, hæcque mihi exhibit Chemia, reliqua tuto relinquens: quid autem tibi tantam encheiresum chemicarum vel aquæ aut spiritui vini extrahentibus probat sapientiam, ut non nisi eas particulas accuratissime eliciat, quæ mederi possunt, reliquas cunctas intactas relinquat? Effectus aliquis medicatus pendet ab eis modo ingredientibus, quæ à nostris humoribus inquilinis insuguntur & per horum interventum vel cum massa sanguinea circumvehuntur vel corpori proprius admoventur reliqua insolubilia iterum cum fæcibus auferuntur; sed extrahe eandem substantiam mille aliis menstruis, & mille alia tibi offerentur educta; si ergo effectum in nostrum corpus ex chemica analysi illustrare velis, primo tibi menstruum detegendum erit, gastrico humori nostro omnibus dotibus simile; tunc ex eo, quod hocce tibi extraheret, concludere posses ad id, quod in nobismet ipsis contingere;

e) cf. Idem Mat. Med. p. 4, 5.

60 PARS II. CAP. I. SECT. II. AFFINITATUM

sed quum nec aqua illa, nec spiritus vini, quorum ope ut plura parantur extracta, cum isto humore æquiparanda, hinc nulla est ratio ducenda ad macerationem in intestinis evenientem, cuius demum extractionem sequuntur effectus medicati, quæque eadem iterum tot aliis modis contingere solet, quot dantur conditions, quæ corpus cum toto suo virium concursum, naturamque nostrorum humorum sic & hujus liquoris gastrici infinitis imbuere queunt variationibus f).

Etsi in æternum chemica experimenta institueris, in æternum tamen te adhuc torquebit quæstio, quænam sit nunc item natura singulorum vel eductorum vel productorum specifica, quo differat vel sal, vel oleum, vel acidum hujus plantæ ab iisdem ex altera obtentis g). Quotiescunque enim tibi hæc suppeditaverit chemica ars, toties & iterum in iis reperies differentias, arctius adhuc semper limitandas & doctrinæ de affinitatibus medicamentorum apprime necessarias b), (conve-

f) Non videtur itidem hic liquor in singulis hominibus ejusdem esse naturæ, in quoque enim organismo alii elaborantur humores, alia solida, hinc illi & hoc liquidum morem gerere debere perspicitur; ab eadem differentia forsan & pendere videntur effectus idiosyncratici vel salubres vel damnoſi, de quibus jam antea Sect. I. §. II. monueram. In statu porro physiologico alios se habent humores intestinales ac in pathologico, hinc & in priori alios extrahere debent ac in posteriori, & idem pharmacon pro amborum differentia, alia in singulis producit effecta.

g) Ol. Cinnamomi differt ab Ol. fœniculi, ab Ol. menthæ &c.

k) Quamvis itaque dicas, duo corpora largiri eadem principia, ex quo cunque obtineri oleum, sal &c. determinandum adhuc est, an singula adsint in eadem proportione, & in quantum iterum speciatim à se invicem differant.

niunt enim ut plurimum modo nomine nequaquam re) usque dum ad ultima tuum corpus reduxeris principia normæ instar reliquis magis compositis inservientia, circa quæ etiam, proli dolor! adhuc sub judice lis est, (uti de acidis, alcalibus &c. inter chemicos quotidie adhuc disceptatur) ut itaque in oceano incertorum & indeterminatorum dubiam semper coactus sis navare operam.

Quid porro ad Elementorum proportionem, vel veram corporum mixtionem ex arte Chemica erues, cum nunquam hæc in ultima sua elementa resolvere queas? nonne aqua per iteratissimas destillationes depurata, semper aliquid terræ adhuc secum rapit? nonne phlogiston in flammis diversorum colorum lucens se in singulis, aliis adhuc particulis implicitum esse ostendit? nonne idem e carbonibus, vel ligno combustis, evolutum & cum fuliginosa tenacitate secedens hic suam impuritatem sat multis dotibus probat? suntne calces metallicæ & per ignem ad ultimum calcinationis gradum redactæ tunc ultima elementa pura terrefria? quid igitur de eductis vel productis statuendum cum hæc nunquam in principia sua primaria dispertienda, nec ex quibus vere conflata sint, sit enucleandum?

Quum itaque per tantum seculorum tractum nequaquam ad statum primiorum elementorum usque penetrare nobis contigerit nec unquam forsitan per humanam imbecillitatem nobis continget, cum quali augurio de diversa inter corpora *Elementorum proportionem* ex chemicis disceptemus, sat clare elucescit.

Eadem porro rarissima nobis offert educta, plurima producta, & licet illa optime describerentur, non aliter tamen consideranda forent, nisi ut partes totius, quæ ad effectum medicatum aliquam particularem symbolam conferre, nequa-

quam autem totum producere possent; multa porro ut plurimum in experimentis consideranda negliguntur ingredientia, e. gr. terra remanens, cineres &c. quæ singulæ omnino aliquid ad effectum medicatum contulissent, si corpori humano non quidem sub hac forma alterata, sed naturali, tanquam particulae mixtionem concomitantes fuissent ingestæ (qualescumque enim substantiæ id aliquantis per mutant) videmus saltem nec infusum nec decoctum Cort. Peruviani huic integro æquiparanda præstare; differentiæ porro specificæ cujuscunque ejusdem generis medicamenti nequaquam experimentis determinari queunt, sed omnem eorum aciem fugiunt: sic e. gr. ex omnibus animalibus exque omnibus plantis ejusdem classis eadem circiter obtines ingredientia, inter quodque tamen animal, inter quamque iterum plantam intercedit peculiaris differentia; an hæc per Chemiam ita explanatur, ut affinitates singulorum inter se exinde determinari queant?

Educta porro non nisi per aliam substantiam evolvuntur, de qua in dubio iterum hæremus, an non istis ex suis principiis elementisve aliqua denuo immiscuerit. Quotus enim quisque in extractione mucilaginum contenderet, omnes aquosas particulas evaporatione iterum abscedere, nec quasdam mixtioni arctissime implicitas remanere? quid ergo à chemicis experimentis sperandum? nunquam plenaria lux sed obscurior modo, in tenebris aliquantis per debili fulgore prominula luctitansve!

Antequam hæc cuncta perpenderam, ex affinitatibus determinatorum principiorum priorum, quæ de medicamentis recensent Præcl. HERRMANN in *Cynosura mat. med.*, Perilluстр. GEOFFROY aliique celeberrimi viri, mea pharmaca collocare apud me constitueram; sed cum postea perspexisse, ista principia ut

plurimum modo ex productis esse autumata, nec plenariam evidentemque circa ista vigere certitudinem, postquam rimatus eram per ea naturam integræ substantiæ nondum tamen elucescere compositamque vim omnium simul sumtorum nihilominus tamen adhuc perquirendam restare; postquam consideraram, in nostra fabrica iterum alio modo elaborari substancias ac in retortis nostris chemicis; postquam denique animadverteram, imaginationem, humanaque ratiocinia multa fœpifime ipsis affinxisse; probe cavi, ne tali doctrinæ à natura remotiori ulla corollaria superstruerem!

Quod chemica denique experimenta attinet, quæ de quibusdam nostri corporis partibus, sanguine e vena emissò, sero vel lympha &c. extra corpus, fiunt, in multa erronea nos eadem inducere monere hic liceat. Extra corpus enim hæc eadem partes, omnibus machinæ vivæ vinculis, quibus antea adstrictæ tenebantur, erectæ, non amplius quoque ipsius viribus, quibus ab illis erant *i*), nunc sunt impertitæ; & uti (Sect. I. §. II.) monueram; alicujus corporis ab aliena vi modificacionem insigniter ipsius statum viresque relativas mutare, sic & hic eadem partes non amplius à priori actionum concursu modificatae, & alias in corpora, quorum experimenta fiunt, gerere debent, quam antea in machina viva per reliquarum virium vitalium consensum easdem licuisset. Harum enim in pharmaci virtutes *reactio*, non parum ad has inflectendas contulisset!

i) Quæ omnino actione sua naturales ipsorum vires præpedire, mutare
reque debent.

SECTIO III.

§. I.

Hisce rite pensitatis, quem tramitem sequemur in eruendis medicamentorum affinitatibus? an dantur revera in natura remedia, quæ pluribus dotibus ad alia satius accedunt quam ad altera? Nimiis argumentis iisdem fidem habere stringimur. Ex quonam autem principio easdem stabiliemus quidve nobis indicabit quæ sibi viciniora, quæ alienora? an sapor, an odor, an observationes, an experimenta? nullum horum seorsim (singulæ enim multis defectibus laborant) sed cunctorum confortium consulendum, quidve illorum *consensus* de aliquo medicamine judicet, comparandum. Sed cum & hæc tentaveris, rem iterum gravissimis difficultatibus premi, & seculum fere requiri, dum cuncta ad singulorum normam pensitentur, persentisces; ideo aliam tibi proponam methodum, quam summe ingenuo auso detexi, multo simpliciorem, multo arctiore Naturæ comitem, qua duce totam Mappam construxi, cuiusque indicium per strenuum trienne examen, tam fidum semper ubique sanx experientiæ animadverti, ut nunc de illa certissimus factus, tibi eandem hisce pagellis audacter describere, nullus unquam dubitem. Sed antequam ad ipsam nos accingamus, adeamus denuo naturæ fabricam, inspiciamus ibidem machinamenta, quibus sua peragat, divina ista artifex, opifia, & an ex iis aliquid, recludendæ ad occlusa affinitatum latibula ambagesque portæ, favens principium nobis subrependum detur, dolosi investigemus.

§. II.

§. II.

Affinitates virium naturalium latent in sola mixtionum cognatione.

Dum Naturam antea consuluimus, ut perspiceremus, quibusnam instinctibus, tam admirandum varietatum, effectuumque per orbem spectaculum, nobis elaboret, deteximus (Cap. I. Sect. I. §. I.) id modo fieri per varias mixtionum, quibus corpora in se mutuo agentia gaudeant, rationes; hinc inferamus ad diminutivum nostrum orbem medicamentosum: ad effectum quendam medicatum producendum solum non requiri pharmacon, sed & corpus, cui applicatur, ex quorum amborum relatione demum surgat actio. Hinc cum variæ morbiderum mixtiones ac circumstantiæ, nequaquam in universum queant determinari, ni mergamur in mari; hanc partem mittere & ad alteram (ad effectus producendos requisitam) conditionem, quæ & constantior est, respicere cogimur, scilicet ad mixtionem medicamentorum. Et cum, quomodo quævis talis mixtio ad varias ægroti conditiones se relativam gerat, nequaquam abstracto sermone possit determinari, cuiusvis judicio practico, erit committenda applicatio.

Quum vires substantiarum *absolutæ* lateant in earum mixtione, prouti hæc degenerat, & istæ degenerabunt. Ob eandem rationem, quæcunque mixtione convenient corpora, & vi sua absoluta seu natura convenient, & si *eædem conditiones* adsint, *eundem relativum* præstabunt effectum.

Hinc quam maxime, ni profrus eandem definire calleamus, ipsi tamen per humanas, quantum facultates licuerit, faltem

66 PARS. II. CAP. I. SECT. III. AFFINITATUM

appropinquare tentemus, & ex hoc variarum mixtionum principio, nostram Mappam condamus.

Eo mihi videntur omnes, qui constructionis talis tabulae forsan operam navarunt, laborasse, ut nimium ad effectus resperxerint, (qui tamen ipsi nobis sat adhuc obscuri sunt) cum ad horum *causam* solummodo *primariam*, *quatenus à medicamento pendet*, hujus scilicet *mixtionem* sese convertere debuissent. Qui cunque enim effectus sunt ad varium corpus modo relativi, cum cause contra, quae in corporibus latent, mixtiones scilicet, semper persistent, & solae sint, quae in tota Materiæ Medicæ doctrina tanquam certæ & stabiles assumi queunt, quibusque tanquam æternis fulcris, hæc scientia potest superstrui.

Qui vero neget, actionis principium in sola mixtione latere, & hoc in particularum varia, qua sibi adnexæ teneantur, dispositione, reponet; illi sic respondebo: Ex chemicis constat, *internam* hanc particularum dispositionem semper morem gerere corporum mixtioni; hac enim quolibet modo alterata, ubivis particulae pristinum suum nexum relinquunt, aliam adoptabunt dispositionem, aliamque compagem formabunt. Pro quavis enim particula, quæ ejus mixtionem vel intrabit, vel huic eripietur, alia novaque elementis iterum oborietur affinitas, præsenti nunc, non amplius præterito statui consentanea, in aliam trahentur attractionem, aliamque aggregationem molientur! Hæc lex quam ita se habeat, *primaria* cujuscunque effectus *causa* semper adhuc manebit mixtio!

Cum multifarii porro eventus ex eodem tamen fonte manare possint, sane iterum perspicitur, ut *generalis* Materiæ Medicæ doctrina eruatur, non determinatas & singulas cuiusvis pharmaci vires *relativas* posse recenserri, sed harum modo cau-

fam, mixtionem scilicet, solam in hac arte *constantem* *k*), ad varias conditiones autem se aliam atque aliam habentem; cujusque virtutes practicas dosesve Medici intellectui & perspicaciæ, (per experientiam & observationes auctæ) esse committendas.

Ex tota itaque tam experimentorum quam observationum turma, qua scripta de Materia Medica completa reperimus, nil nostri evadit, nisi relationum determinatio, quas medicamina inter se respectu illius mixtionis tenent, ex quibus corollaria ad quemque individuum casum inferantur; exque omnium faragine idem præcipue eligatur, quod quasi specifice per suam Naturam ipfi conveniat.

k) Ast quis irruet: nonne eadem pharmacorum mixtio, quam tanquam solam, constantem & immutabilem in Materia Medica assumis, itidem ipsa in variis ejusdem nominis individuis pharamcis pro varia anni collectione, climate &c. variat? nonne juvenilis arbos evidentissime à senili differt? nonne inde & aliæ ipsi affluent vires? Hic refero: suppono optimum à pharmacopola mercimonium, meaque pharmaca distribui, qualia in myropoliis bene constitutis debent prostare. Quales porro in Historia Naturali varietates specierum characteres non mentiuntur, tales & hic varietates ex diverso plantæ natali, diversa collectione &c. oriundæ, ratione mixtionis non tantopere differunt, ut in aliis corporis qualiscunque indolem, genium, virtutesque transire queant, nec aliud in Mappa locum mereantur: levissimæ porro, quæ ratione virtutum hinc ipsis accrescunt differentiæ, respectu differentiæ, quam eodem simul sumtæ ad aliud quodlibet pharmacon tenent, ad nihil plane in Mappa adeo concentrata evanescunt.

§. III.

Alia investiganda est via, ad detegendas varias corporum mixtiones.

Quum relatio mixtionum duorum corporum, quæ in se mutuo agunt, principium ipsorum actionis sit, chemica autem analysis de eadem nequaquam nos certiores reddat, ut alia via indagetur summo studio atque consilio elaborandum, *vitatis veterum deviis, scopo autem retento!*

Descriptiones medicatarum virium in libris exhibitæ nimis sunt vagæ atque prolixæ, quam ut legitima & naturalis substantiarum distributio exinde erui queat; & si ulla scientiarum generales assertiones, ni accuratissime determinatae sint, non fert, est fane medica; quippe omnia fere relative in ea contingunt, & una alterave modo ex conditionibus rebelli, & alienatur effectus; hinc in æternis semper circumvagabunt disquisitionibus & indeterminatis circa medicamentorum virtutes litibus, autores; nullus alterius fidei assentietur, nullus alterius observatis acquiescat, si suis hypothesibus fuerint obnoxia, sive in assertorum, displicitorum & contradictorum oceano, etiam atque etiam fluctuabunt veritates, humanæ saluti tam arcto vinculo adnexæ, nostræque medelæ ac famæ columæ, nisi tandem & aliquam methodum perquiramus, quæ ventorum instar omnes has disquisitiones nebulosas divellat, nostroque progressu claram porrigit lampadem.

Ratiocinium, ex quo medicatos effectus explicare tentes, ab humani corporis, hujus variarum conditionum, materiaque morbificæ ad medicaminis mixtionem, relatione dependet; non autem ad eam, quæ per chemica experimenta erui-

tur (per hæc enim corpora analyticæ, nec synthetice, qualia tamen æquo propinuantur, examinantur) sed ad ipsorum *mixtionem naturalem*. Dum enim simplex aliquod exhibet, non exhibet ejus vel educita, vel producta, sed integrum substantiam, quæ cuncta per chemicorum encheires separatim obtenta, una vice iterum coagmentata comprehendat. Dum ergo illius effectus à *synthetica modo mixtione* fit derivandus, hæc autem in tot corporibus ad infinitum licet diversa, tamen à sola in quovis, varia elementorum congerie constituatur, ratio elucescit, qua per approximationem saltem has singulas in corporibus obtinentes mixtiones delineare possimus; varias elementorum proportiones, quibus altera ab alteris recedant, in Mappa proponendo.

Irritus autem est in hunc finem labor, observationibus infinitens, irritus ille, qui chemicorum experimentorum advocat lucem, nil ergo superest, nisi sequi ipsam Naturam, qualis est in sua compositione, nec per varias nostras artes mutilata dilaceratave. Sequamur hinc eam absque ulla analysi, absque ullo ex hacce ducto ratiocinio (hæc quippe ad nimis doctas sèpe præbent ansam lites) & cum has differentias mixtionum specificas jam per SENSUM aliquem quem inde CHEMICUM appellaturus sum & de quo Capite sequenti sermonem facturus, distinguere calleamus, nulla arte licet verbis fint describendæ *l)* hujus lucis ope, an aliquod corpus cum altero vel plus vel minus conveniat in Mappa tali delineemus *m)* & simplicissimo hoc instrumento, nobis indice, tentemus, annon aliquid

l) Hanc fecus ac colorum disparitates.

m) Iisdem distantia ista collocando, ac à se discrepare animadvertisimus.

70 PARS II. CAP. I. SECT. III. AFFINITATUM

eruere detur, cuius veritas non ope vastarum ratiocinationum, non ope amplissimæ experimentorum ac observationum cohortis, sed ope ipsorum sensuum, ad evidentiam possit palpari.

Vim alicujus corporis *chemicam* vel *absolutam* (per quam omnes suos relativos effectus peragit) appello compositam vim surgentem ex numero vel proportione quatuor Elementorum Universi primatum, quodcumque corpus constituentium. In hac sola latet totius existentia atque natura; estque eadem fons atque basis cunctarum tam physicarum quam chemicarum, quas de ipsis prædicamus, qualitatum. Eam tunc demum percipimus, quum aliud iterum corpus ipsis applicatur, per cuius mutuam vim ambo in motus excitantur, atque per actiones reactionesve commutantur; tunc demum hi effectus nostros feriunt sensus, & ex hac perceptione concludimus ad aliquam ipsorum causam, scilicet vim in corporibus antea delitescentem, quæ autem pro varia relatione ad ea, quæ sibi applicantur, se aliam atque aliam gerat. Antea enim semper perstat immota, nihilominus tamen *per se ipsam viva*, nec nisi respectu nostræ perceptionis mortua. Hæc eadem semper debet alterari, quum unius ex quatuor Elementis, e. gr. principii inflammabilis vel terræ, vel aquæ, vel aëris, aliqua portio vel accedit, vel ipsis iterum aufertur. Vis hujus noviter adjecti autem, solummodo actionis potis est, quæ relative se gerit ad proportionem Elementorum jamjam antea in corpore versatorum; pro hac in compositam vim ambo ruunt, quæ denuo iterum se habet in ratione directa quatuor elementorum tunc in eandem substantiam conspirantium. Cum autem hæc ratio absoluta, nunquam præcise nec numero definiri, nec verbis exprimi possit, ob tam nostrorum sensuum, quam experimentorum hebetudi-

nem, ne minus tamen ad hæc usque penetralia descendere cal-
leamus, alia tentanda est via, qua saltem relative determinem-
mus, an, & qua proportione aliquid præ altero majorem vel
minorem alicujus Elementi copiam in sua mixtione contineat;
ut stabilita tunc per certas observationes qualiscunque medica-
minis in *determinatis conditionibus* vi & actione, exinde per
analogiam deducere valeamus, qualem iterum aliud pro sua, in
Mappa à priori distantia sub *similibus conditionibus* exferere debeat
effectum; & huic scopo tabula talis fortissimam præbet ansam!

Cum Chemia enucleandæ plantarum mixtioni ut plurimum
adhuc sit fere impar, nec per ejus operationes hæc unquam ac-
curatissime forsan determinari possit; ubi evidentissima certi-
tudo abest, per alia principia, æque veritati cognata, ad hujus
lucem (quantum per nostri saltem ingenii limites licuerit) no-
bis aditum patefaciamus. Ut hujus tramitis autem primi lapi-
des unquam moverentur, primus audax manus admovi nec
hoc specimen tanquam, jam omnibus vitiis exactissime repur-
gatum, sed solummodo tanquam viam, per quam forsan in am-
pliore cognitionum campum perduci possemus, propono.
Quis autem ab arte nascente exigit ea, quæ utcunque perfe-
ctam supponunt? ⁿ⁾ & quæ in reliquis scientiis vix non secula
requirunt? Dum in hac Mappa exaranda desudavi, fui memor,
quod si nunquam *primus* aliquis geographicas malas constru-
xisset, & adhucdum nullæ bonæ prostant.

Accingamus nos ergo ad novum meum principium:

Corpora quæcunque ex quatuor Elementis conflari, probavī
P. I. §. Quodsi quis minus hic meis partibus adstiterit, nequa-

ⁿ⁾ WETSCH. Med. ex pulsu.

quam sua argumenta petat ex Chemia, quippe quam nullum fere corpus in ultima sua elementa discerpere valere, probavi (Sect. II. §. V.) consideret porro, omni omnino naturali iudicio contradicere, quod corpora quaelibet, constanter quatuor Elementis sint circumacta atque sollicita, nec tandem aliqua eorum attrahant, suæque massæ injungant, præcipue cum tantum in se invicem nisum, Elementis *primariis* indiderit Summus Creator! Aërem nuperrime demum ex corporibus evellere didicimus, qui antea fere erat incognitus; principium inflammabile, licet ex singulis educi haud possit, per dotes tamen substantiarum quibus inhæret, ad ejus præsentiam aliquid inducere callemus. In telluris nostræ gremio, non tanta licet aëris copia circumagatur, hujus tamen non mediocrem rationem inesse testantur terræ motus; principium inflammabile probant ignivomi montes; copiosamque denique aquam, thermæ: quod autem valet de toto, & valet de partibus singulisque specialioribus corporibus, ex eadem matrice evulsis, nutritis, sustentatis. Corporum singulorum quotquot existant, disparitates, in sola Elementorum proportione esse positas, nobis suadent experimenta, suadet denique sana ratio. Ex qua enim alia causa different, si cuncta ex iisdem Elementis conflata persistent? Suppone in singulis eandem eorundem principiorum proportionem, & tibi dabitur eadem singulorum magnitudo, eadem forma, idem color, eadem mixtio, eadem denique qualiumcunque natura & vires Hæc autem ex sapientissimi Creatoris sagacitate ac consilio infinitis modis inter se differre, cujusque oculis quotidie offeruntur. Qui itaque Elementorum hanc variam proportionem in quolibet corpore detecturus est, is detegit differentiam cujusque à reliquis specificam, detegit singulorum mixtiones, verasque corporum

corporum naturas. Quum autem hæc incassum semper per
huc usque cognitas methodos fuere tentata, investigemus aliam,
cujus probitatem exinde dijudicabimus, si ad ea nos duxerit,
quæ in unum cum experientia tramitem confluunt, tuncque
denuo veritatis omnes dotes ipsam præ se ferre proclaimabi-
mus; sed hoc jam visum exercitatum præstare, probabo nunc.

C A P U T II.

Visus ita exercitio acui potest, ut tandem perfectissime
dignoscere, an corpus aliquod præ altero vel terra vel phlo-
gisto &c. abundet; & sic mixtiones corporum relativas diju-
dicare discat.

S E C T . I.

§ I.

Mixtionem *naturalem* appello mixtionem, quæ sensibus
nostris percipitur, dum pharmaca non analytice per partes &
ingredientia seorsim considerata sed in concreto & compositio-
ne, qualia quæcunque in pharmacopoliis asservantur, rima-
mur, & proportionem relativam quatuor Elementorum, in
quocunque medicamento integro obtinentem, nullis nec ver-
bis, nec experimentis determinandam, sed sensibus omnino
dignoscendam, & mea hac methodo exprimendam eruimus o).

o) Hæc est, de quā semper in hujus tractationis cursu sum locuturus,
designans proportionem quatuor Elementorum, inter pharmaca

Sed cuius os, primo intuitu Mappæ hujus secundum proportionem quatuor Elementorum dispositæ, non in diras exclamationes vocesque solvetur: Quis nobis hanc aut probabit aut describet, cum nulli mortalium adhuc contigerit, ultimi alicuius Elementi magnitudinem introspicere? vana itaque hæc omnia & soli imaginationi superstructa! — Minime imaginationi, sed ipsis sensibus ac experientiæ! Et si ad veritatis fulgorem per radiorum penetrantiam non prorsus accedere nobis conceditur, ei tamen in tantum appropinquemus, quantum per sensuum nostrorum aciem licuerit. Astronomorum calculus per millenarium sæpe numerum claudicat, nihilominus isti interrati circa sidera versantur, æque securi fidique, ac humani ingenii viribus in tam vasto aque nostris organis sensoriis remoto campo conceditur; versantur intrepidi & nobis observationes prædicunt, quæ postea ab experientia exactissime comprobata deprehendimus. Sic & hic in veritatis tepida quadam luce securius incedere, quam in occultissimis fallentibusque tenebris etiam atque etiam titubare præstat!

Sistere itaque nequaquam hic possum proportionem quatuor Elementorum *absolutam*, scil. *numerum* cuiusque ex hisce,

relativam; composita vis, ex quacunque tali oriunda, & quam *chemicam* antea (Cap. I. S. V. §. III.) appellaveram, ex illa facili ratiocinio deducenda erit, nunquam licet verborum descriptionem admittat. Prior semper posterioris est basis, dum enim mixtionem naturalem ignoras, nec inde compositam vim chemicam deduces, nec cognosces vim cuiusque medicamenti absolutam, nec ex priori jam præfigire ad quemque statum relativam, nec cum certitudine tuum remedium poteris adhibere.

corporibus inhærentem, (latebit enim hic semper fortasse in Naturæ Sacrario occlusus;) sed nil obstat, quo minus saltem ad relativam, (in quantum nempe ex comparatione, *unum præ altero, plus vel minus alicujus elementi foveat*) delineandam, cum aliqua veri spe nos accingere valeamus p).

Id hic præprimis duco notandum, quod dum loquor de proportione quatuor elementorum corporibus inhærenti, semper intelligam eam, quæ *sub eodem volumine* delitescat.

Habitus alicujus corporis *chemicus* mihi dicitur, ex quo dignoscere possumus an præ alio vel plus terræ vel phlogistæ, vel aëris vel aquæ vehat; & qui nobis itaque indicat mixtionem ipsius naturalem.

Habitus hic idem quasi est, ac qui ex comparatione hominum tandem nos docet, quodnam in quolibet temperamentum, vel phlegmaticum, vel sanguineum &c. præ altero prædominet, & in quonam gradu idem iterum reliqua conjungat. Quod enim, dum istos comparas, est quadrupla temperierum proportio, hic evadit tibi eadem inter Elementa ratio. Et licet in priori doctrina verbis quidem determinare fores impos, quemnam cuiusvis gradum potissimum in singulis mortalibus persentisceres, nihilominus tamen ex bipedum turba eos feligere, inque mutuas vicinitates disponere posses, qui ratione

p) Dum alicujus remedii effectus rite novimus, satis tuto ad effectus alterius concludere nobis datur, ex ambarum mixtionum differentia; cognitis enim Elementorum primiorum (quantum hæc saltem pura novimus) in nostrum corpus viribus, non multum amplius oneris est, eruere, qualem vel major vel minor alicujus ex iis in pharmaco copia effectuum differentiam progenerare debeat.

temperieram vel associari vel dissociari mererentur: distin*c*ti^l fimeque sensus tuus afferere calleret, an Caus prae Laelio, Laelius prae Sempronio &c. hoc vel altero ipsorum prepone*r*aret. Sicque totam sensim talem temperamentorum mappam, ex sola familiarum comparatione tibi exstruere daretur. Sicque hac mea de medicamentorum affinitatibus, ex sensuali examine relationeque, quae maxime cognata ex chemico habitu mihi fuerint vifa, pededentim ad hoc volumen excrevit. Dum semper alterum cum altero comparaverim, exinde, quodnam Elementum in alterutro effet potius, distinxerim, tandemque in ea ratione, quam verbis quidem describere me haud licuifet, nihilominus tamen sentire; id versus Elementum in Mappa removerim, cui proprius convenerat, in ea quidem distantia, quam sensus pluris vel minoris indicaverat.

Hujus habitus mihi fortuito primam suggererat ideam, veritatemque stabiliverat, sequens observatio: postquam octodecim vel viginti circiter plantas, quas de pluribus simul virtutibus participare referebant auctores, cum iis, quae una praecipue prestant, compararam; jam in habitu priorum externo aliquid discreveram, quod a posteriorum differret. Hoc observato commotus, alia iterum perlustraveram, iterumque alia, ut certiorem me redderem, an idem semper singula animadvertere darent; constanter mihi idem successit. Tunc ex hoc non fallaci consensu experientiae cum habitus istius lege faciliorem introspicere cœpi viam, per quam minori forsan temporis dispendio eadem perfici possent, quae alias per longævas & ambiguas auctorum disquisitiones. Fiducia tunc mea adhuc per iteratas etiam atque etiam comparationes in habitus criterium magis magisque comprobata, temere calidus omnes qua-

Iescunque autores removi & *solum* illius indicium sedulo fide-
que fecutus, totam successive meam Mappam dispositui; nec
prius illos reposui, ni tota hac jamjam ad finem perducta.
Tuncque demum jucundissimo intuitu, lætissimisque præcor-
diorum subsultibus detexeram, ad ipsorum asserta & meas affi-
nitatum animadversiones, feliciter inopinataeque quadrare.

§. II.

*Ex priori plus quam verosimile redditur, mixtionem
naturalem jam relative ex habitu dignosci posse.*

Quodcunque corpus effectum in nostros sensus spargit, ex
quo à reliquis congeneribus idem distinguere sumus potes. Hic
effectus autem producitur a sola mixtione; quid enim aliud
corpus constituit? quoquaque igitur modo aliqua substantia
mixtionem suam mutaverit, & aliis inde in nostros sensus
redundabit effectus: dum ergo per chemicas encheireses cor-
porum principia aliquantisper ediscimus, si, quæ hæcce ars do-
cet, cum eis, quæ exhibent sensus, comparamus, & necessa-
rio notitiam acquirimus, quibusnam principiis id, quod sen-
sualiter percepimus, sit tribendum; edocemur simul, qua-
lem quodcunque principium elementare nostro visui exhi-
beat habitum, sive deinceps reciprocè ex hoc ultimo ad præsen-
tiā & quantitatē istorum principiorum concludere nobis
fana ratio & experientia dant veniam, ergo nullum dubium,
quo minus ex habitu relativo & mixtionem corporum relativam
summa cum probabilitate enucleare valeamus.

Homogeneæ virtutis medicamenta ad reliquos sensus, odo-
rem & saporem, homogeneum & similem fere semper exserunt

K 3

effectum, cur idem recusarent sensui multo majoris acuminis; securitatis & fidei, *visui*, ipso distinguendo exercitato?

Quotupli modo corpora inter se differunt, & differt quidem cuiusque effectus in tuos sensus, sed ex multifariis tamen aliquid abstrahere poteris, omnibus idem elementum magna sat copia vehentibus commune, & ex quo statim ipsius praesentiam dignoscere callebis.

Chemica experimenta docent, quamcunque mixtionem alteratam & sensibus se aliam praebere; hinc dum ex principiis illius artis noveris, cuiusnam naturae sint Elementa, quæ mixtionem aliquam vel noviter ingressa vel inde ablata fuerit, & vi des tunc, quomodo horum vel praesentia vel absentia corporum habitum chemicum mutent, & ex bujus analogia iterum in aliis substantiis ad eorum vel largiorem vel parciorem copiam inferre tibi dabitur. Dum itaque e. g. vitriolo aditas, quando ad albedinem calcinatur, prouti aqua sensim sensimque exinde elicetur, & habitus tuæ substaniæ pari ratione alteratur, tunc si simul ex altera parte tenes vitriolum crudum nondum huic encheiresi subjectum, suæque adhuc aquæ compos, ex disparitate effectuum, quos ambo in tuos edunt sensus, ad habitum, quem *aqua* in aliquo corpore praesens isti conciliat, concludes, similiterque videbis, quomodo eadem absente vel saltem multum imminuta, tuum corpus iterum mutabitur. Ex amborum comparatione ergo colliges tibi *ideam abstractam* de effectu, quem aqua in quodam corpore vel rario vel copiosior edat, exque simili in aliis iterum corporibus habitu ad ejusdem Elementi copiam sane concludes. Sic si aliud dein iterum Elementum simplex assumis, eique corpus, quod multum e. g. principii inflammabilis vehere per certa argumenta constat,

iteratis vicibus admisces, ut cuiusvis novæ proportionis caute tibi notare possis differentiam, & hujus Elementi præsentiam in corporibus facilime distinguere disces; sicque de reliquis.

In Materia Medica, dum per experientiam notum, aromata e. g. plus principii inflammabilis vehere; adstringentia per copiosiorem terram præcipue agere, resolventia per prævalentem aquam, Sopientia ratione principii præprimis vapo rofi cum principio inflammabili juncti (quod acrimoniae principium esse infra probabo), compara aliquod radicis adstringentis fructulum cum æquo circiter volumine radicis alicujus resolventis; vicissim è Sopientium numero defume aliquod, quod referas ad Emollientia quædam & facilime inter ipsa aliquam differentiam sat palpabilem percipies, ex qua tibi ideam de habitu, quo quodque fere Elementum se tuis sensibus offerat, formabis. Ab his rudibus tentaminibus procede ad subtiliora, continuo hæc ad jam cognita stabilitaque referendo, & sic unum alteri semper annexens, sensim sensimque speciales disparitates accuratissime tandem discernere tibi continget. Sic in experientiæ talis *frequentioris* coticulis tuus sensus, priusquam mixtionem naturalem dijudicet, probe terendus est.

Nullam controversiam admittit, quin externus cuiusque corporis habitus morem semper gerat mixtioni, dum itaque pro sua convenientia rite illos disposueris, & necessario hujus justa ratio sequetur.

Sed sensus fallunt? Non tam obcæcantibus nos obnubilavit Numen Supremum instrumentis, ut decepti jam satis a viribus nostri ingenii, omnium fidorum fulcrorum expertes, etiam circa externas res, solos nostrarum cognitionum fontes q) ducesve adhuc insipidi oberremus!

q) Lock *Entendement humain.*

Etsi fallant in quibusdam specialioribus cum quadam difficultate extricandis, non fallunt certe in generalioribus, jam rudissimo oculo facillime distinguendis, quæque forsan irrepent specialiora errata, tempus & studium omnino in arctos suos limites reponere, pedetentimque sic hancce doctrinam ad summam affinitatum puritatem integritatemque reducere callebunt. Ob quasdam, quibus obnoxii sunt, fallacias per experientiam accuratiusque rerum indagen debebunt quidem corrigi, nequaquam autem penitus rejici, cum ipsis enim removeretur & unicum cunctarum scientiarum fulcrum! Quum nullum corpus vires suas naturales vel absolutas mutare liceat, nisi additis vel sublatis quibusdam ex ejus mixtione Elementis; hæc autem quæcumque corpora constituentia minime fint spiritus invisibles, sed mera materia, cunctis nostris sensibus palpanda, cur adhucdum nemo mortalium sensuali tali principio aliquid superstruere tentaverit, non latet in eo, quod Elementa nequaquam se nostro visui offerant, sed quod attentione requisitoque discrimine caruissimus, ut qualibus præprioris principiis quivis in nostrum visum irruens effectus debeatur, probe dijudicaremus, latebatque in eo, quod singulorum compositorum corporum habitus non ad illos retulissimus, sub quibus Elementa simplicia se nostro sensui præbent, anque cum uno alterove istorum convenienter, inquisivissimus. Ex hac comparatione omnino necessario deduxissimus Regulam: Quo magis hocce animadverteretur & eo plus corpus ejusdem elementi fovere.

Neminis adhuc cogitationes eo fuere delatae, ut corpora in concreto, non abstracte, cum omni sua attentione figurent, stricto animo contemplarentur, inque rationem non

Meta-

Metaphysicam, non Opticam, sed mere Chemicam sese converterent, qualium Elementorum compagi nunc quisque in suum visum irruens effectus deberetur? Sic enim jam diu quasdam convenientias inter habitus compositorum corporum cum habitu simplicium Elementorum detexissent, exque hac sola comparatione, jam sensum ope, principium ac veritatem distinctissime ac dilucidissime non philosophice ratiocinati essent, sed ipsi vidissent: Nullum non corpus, qualemque id fuerit, ex solis creationis fundamentis, quatuor scil. Elementis, esse conflatum, nec nisi vel pluri vel minori à se invicem differre; istius veritatis, dico, profecto aque certi fuissent facti, dum in singulis longe lateque per orbem dispersis corporibus, modo differentem Caracterum Cardinalium, quos postea recensebo, proportionem distinxissent, ac eadem sola hac quatuor principiorum proportione constituuntur.

Naturam plurimi mortalium quotidie inimoti per totum ævum contemplari assuecunt, nec quidquam memoratu dignum ipsorum animos ferit; paucos modo libido irrepit, istam ad imusque sua penetralia prosequi. Et sic hic ad nostra usque tempora eadem substantiae quotidie inconsiderate aspiciebantur, nec quicquam alicujus mentem unquam moverat, ut altius illas investigaret, exque differentia, quæ in suos sensus inde quotidie cadit, aliquid ad mixtiones ipsarum dignoscendas colligeret; sed potius amplis ambiguisque disquisitionibus, quibus magis magisve nos à Naturæ sacro tramite removeramus, extensaque, arte id demum amplecti studueramus, quod jamdiu in nosmet ipsis latebat, dummodo evolvere novissemus! Dum sensibus nostris frequentius pertractamus elementa simplicia aquam atque terram, simulque corpora, in quibus præ-

L

valere principium inflammabile & aërem summo jure autam-
mus; horum quatuor principiorum nobis familiares reddimus
habitus, dumque postea alia iterum corpora examinamus, quæ
quoque nonnisi iisdem constituuntur, & illorum simplices no-
vimus habitus, facillimo negotio ex comparatione compositi
alicujus, cum singulis illis, in quantum cum ipsorum aliquo
vel magis vel minus conveniat, eruemus, & in quantum quod-
que Elementum in altero præ altero habitu plus aut minus de-
litescat, discernemus, r) sicque sensum nostrum comparativum
sequentes, varie pro varia cum habitu aliquo elementari conni-
ventia vel disparitate nostras vicinitates stabiliemus. Hic sen-
sus ab initio omnino mancus, nec experientiam ubicunque con-
comitabitur, sed tam diu in hujus coticulis est terendus, dum
tandem majorem fidem mereri, ejusque asserta ad experienciæ,
casto ratiocinio exceptæ, normam quadrare læti persentiscamus.

Dum Pharmaca sensualiter disquiras, primo aspectu nullam
fere inter ipsa tuo scopo faventem differentiam animadvertes,
sed si sensim sensimque ipsa magis ardue perlustres, paulatim
unum alterumve sibi magis analoga esse introspecies; deteges
paulatim aliud præ altero plus terræ vehere, dispones hoc illi
corpori proprius, quod tibi non multum ab ipso discedere vide-
tur; inter reliquorum catervam iterum alia excerves, quæ
hisce iterum magis accedunt, quam aliis, & sic successivo ausu
affinia semper affinibus admoturus, totam tuam dispositionem

r) En supposant qu'on connoisse parfaitement les propriétés des principes
d'un composé, on pourra en examinant les propriétés de ce composé, re-
connoître, quels sont ses principes, quand même l'analyse en seroit impos-
sible. MAQUER Dict. de Chym. T. I. p. 51.

ordinabis, dum quodvis suo vicinissimo approximaveris. Hic autem primus conatus post aliquot dies tibi iterum multis vi-
tiis laborare apparebit. Idem quod tibi ad summum ordinis splendorem antea perductum fuisse apparebat, nunc multis at-
que permultis adhuc correctionibus egere visurus es, non sen-
ties jam in eo *scalarem* illam tuarum substantiarum, quatuor
plagas versus, degenerationem, senties mere passivo, nec ab-
stracta agente oculo in hoc copiosorem terram, tuam pridie
considerationem effugisse, in altero parciorum aquam &c. Cor-
riges tunc iterum, totiesque emendabis & polies, donec post
unum circiter annum, per quem indefessus tibi semper
fuerit hic sensus exercitatus, tibi id in eodem perfectionis sta-
dio apparuerit, quo tibi antea placebat; sic sensus hic exercetur,
sicque hic ad summum vestigium per tempus laboremve omnia
evehere calleat !

Si tactus ad tantum subtilitatis gradum exercitio conteri po-
test, ut cæcus ille apud BOYLEUM soli ipsi fidus, pannorum co-
lores discernere norit, cur oculus, perfectissimum forsan cum
aure nostræ fabricæ organon, nullis illis ruditatibus obnoxius,
quibus iste, inferioris hic subfellii maneret, cum reliquos com-
militones acumine, integritate, vi atque industria ubivis ante-
cellat ?

S E C T I O II.

§. I.

Criteria mixtionis naturalis.

Mixtio ex multifariis indicis tam rationalibus, quam Che-
micas aliquantis per dijudicari valet ; sensuum autem ope non-

L 2

nisi per dotes physicas, & qualitates sensibiles, quas in elementis simplicioribus quotidie animadvertisimus (scilicet in terra rigiditatem & duritiam, firmamque compagem, in aqua fluiditatem &c.). In ea ratione tunc composita, qua quodvis corpus hasce in femetipso complicitas gerat, concludo ad præsentiam Elementorum istis præditorum. Ex quoniam enim hancce dignosceres, nisi ex dotibus ab iisdem inseparabilibus, in ipsorum natura latentibus, & nunquam non ipsa per totum orbem concomitantibus? Quo plus enim corpora hujus vel alias principii foveant, eo magis & participare debent qualitates ipsi innatas.

Caracteres, qualibus in Historia naturali utimur; huc minime quadrant. Non agitur enim de speciebus describendis & ex signis quibusdam *ad sua nomina* referendis, sed de generali diaconi corporum ad quatuor principia referendorum, cuiusnam vel plus vel minus foveant & necessario ex nulla alia re dignoscenda, nisi ex dotibus cuique Elemento propriis; quo maiorem enim quæpiam substantia alicujus copiam contineat, eo magis & prædicta esse debet qualitatibus ipsi naturalibus, ex quam Phisica doctrina, quam quotidiana experientia comprobatis. Statuamus itaque

§. II.

Principia, ex quibus ille Chemicus sensus poterit excoli.

Sic displicatur nodus. Attente rimaris compagem cuiusque corporis physicam; hæc à quadam quatuor elementorum proportione componitur, quam ut relative dignoscas, sic procedas: Tuum refer corpus ad Elementa simplicia, inter quæ distinctissima & in statu sat puro optime nosti aquam terramque; nosti

quascunque substantias terrestres se soliditate, duritie, rigiditate
que distingueret; sic & insuper nosti physicas aquæ dotes;
licetve ambarum harum characteres physica principia te non
edocuissent, sane easdem tamen per familiarem usum cum
quoque infante facillime discernere calleres. Suppone igitur,
tibi esse terram purissimam, cui paulatim largiorem, quæ cum
hac semper misceretur, aquam affunderes; cum effectus ubivis
morem gerat causæ, & ille, qui tunc ex aqua terræ immixta tuis
sensibus & præprimis oculo oborietur, non amplius cum illo,
quem antea illa purissima tibi obtulerat, erit idem; sed illa
aquosa Elementa omnino visibilia, tuos quoque sensus afficient,
effectumque terrestrium alterabunt in ratione qua hisce immixta.
Effectus itaque non amplius nec terræ, nec aquæ purissimi
similis, sed ex ambabus compositus, interque easdem in
termedius, tuum oculum feriet, qui autem eo plus de alteru
trius effectu participabit, quo magis illa præ altera prævaluerit.
Dum igitur quodcunque corpus, cum iisdem duobus Elementis,
vitro e. g. (terra ad purissimam fat prope, accidente) &
aqua destillata, in arenam duces, concludes ex prioris s)
cum horum uno alterove majori vel minori convenientia ad ratio
nem vel majorem vel minorem, qua illud Elementum in isto
contentum. Ex hac comparatione igitur quicunque infans, cui
fibram aliquam e. g. animalem vel vegetabilem *rigidam* osseam
que cum alia *laxiori* proponam, statim mihi hanc ultimam præ
priori majori aquæ quantitate turgere, indicabit; & si cui un
quam de hac veritate dubium superesse possit, solidiorem in
funderem aqua, dum hæc totam ipsius substantiam penetrarit,

s) In toto, nec per solitarios aliquos characteres considerati.

tunc statim ex majori immixtæ aquæ copia surgere laxitatem animadvertet. Sic idem oculus paululum magis exercitatus & in magis compositis quoque corporibus sensim sensimque subtiliores differentias palpabit & concludet, an plus aquæ terræ foveant, ex ratione qua istorum consistentia vel magis ad illam terræ vel aquæ appropinquaverit, solidaque vel laxior fuerit, & ad formam simplicis terræ rigidam, vel aquæ fluidam accesserit, inque eadem ratione istis in Mappa locum ad potius elementum vergentem, concedet. — Non tam prono autem alveo fluit discriminem reliquorum Elementorum, quæ non in puritatis statu, sed solummodo cum aliis mixta, dignoscere & sensibus quasi palpare nobis contingit. Sed ne eo deterreas, Juvenis ^{z)} ardens, nobilem hanc metam assenti optans! Evidenter enim jam percipio, distinctum esse habitum corporum singulis magno pondere scatentium; ita ut, si status ipsorum purissimus quidem tibi perscrutandus deneretur, tamen aliis huic satis accedens, (quantum saltet operi sufficere potest,) ex corporibus, quæ singula insigni quantitate ingrediuntur, tibi affulget. Compara enim primo aspettu substantias multum flatulentas, id est, multo aëre fixo di-

^{z)} Pari enim fidere cum Medicinæ ex pulsu vel Nosologiæ Methodicæ studio hæc ars sine dubio trahetur; hinc quæ Celeb. CULLEN in Praef. p. VII. de sua scientia autumat: & hue quadrans repetam:
 „Ab æqualibus jam senescentibus vix aliquid hujusmodi exspecto.
 „Quorum alii, studiis nunquam dediti has novitates, quas vocant,
 „vel refugiunt, vel detrectare student; alii, studiorum licet fautores, in
 „quibus etiam multum profecerint; tamen, ut relicta repetant, &
 „quædam forsitan dediscenda fateantur, vix adduci possunt. Quo
 „circa hoc studium à junioribus fere solis promotum iri spero.“

tatas, mucilagines, legumina, cerealia grana, reliquaque his affinia emollientia, cum ipsis oppositis viribus aromatibus irritantibus, rodentibusque venenis. Nonne sat insignem & quasi digito tangendam, qua homogena sibi aggregantur & à contrariis recedunt, differentiam, ratione habitus persentisces? Nonne priorum habitus mollior, laxior? posteriorum contra stipitior, compactior, densiorque? Nonne tibi sat differentem hæc eadem mixtionem annuunt, nutum cui certissima argumenta, omni sua vi postea assentiunt? Ergo nonne ex hocce aspectu tibi persuasurus es, hæc ambo deberi duobus principiis diversis alterutri magna copia inhærentibus? Si itaque, quod in emollientibus animadvertis, confers cum experientiæ doctrina, & inde hujus vox tibi revellit, ipsa aëre fixo copiosiori turgere, noscisque Irritantia ipsis omni dote oppolita esse; meæ sententiæ partes agere non dubitabis, autumans, differentiam sensualem, quam hæc ab istis respectu habitus gerunt, necessario Elemento aëri fixo oppolito, scilicet principio inflammabili quam maxime deberi: sententiæ, quam Cap. III. allata argumenta iterum satius uberiusque confirmabunt. Sic ergo non ex simplici, sed composito statu, Elementorum primiorum dotes usu & habitu distincte satis animadvertere nosces. Licet enim nec aërem purum, nec Phlogiston qualia simplicissima, oculis conspicere tibi contingat, cum summa tamen probabilitate tibi ex analogia concluderè fas est, emollientium habitum deberi aëri, Irritantium contra principio inflammabili, magna copia ipsis inhærentibus; & quicquid postea huic magis accedet, admovebo Phlogistꝝ, quicquid isti, magis aëri appropinquabo. Compertum porro per Chemicam doctrinam teneo, principium inflammabile esse solidum, omnia quippe corpora, quæ intrat,

metalla, sulphur &c. solida reddens. Non enim forma, qua tanquam ingrediens ipsis inhæret, est fluida. Ignis enim fluiditas pendet à motu insigni particularum, quo ad se invicem fricantur, nequaquam autem à principio inflammabili puro; & flamma ejusque effectus iterum differunt ab hujus puri tanquam corporum ingredientis operatione *u*). Ergo necessario corporibus, quorum maximas partes agit, conciliare debet compagem fibrasque solidas, quod videre est in aromatibus irritantibus Res finisque &c.; sed quæ soliditas se meis sensibus totam quantam aliam, longequé diversam gerit quam terrestris. Sunt duæ soliditatis species & genii nequaquam verbis, æque parum ac colores describendi facillime autem sensu distinguendi percipiendique. Sicque res ex priori habere se debet; phlogiston enim cum sit solidum, toto cœlo discrepans ex natura sua, indole vi-ribusque à terra; effectus quoque amborum in meos sensus æque bene differre debent ac in omnia reliqua corpora. Sic & novi aërem omnibus dotibus esse fluidum, sed iterum aliis indolis ac aquam, alias enim non essent diversa Elementa. Ergo hic aër corporibus debet conciliare dotes fluidorum, scilicet laxitatem, sed iterum renegantem istam ab aqua, productam. Omnes igitur, ad quas qualescunque mixtiones referri possunt, notæ carac̄teristicae, quarum ope dispositio Mappalis peragi potest, solummodo vel ad plus vel ad minus à se invicem discrepant. Scilicet dantur duo Elementa solida, Terra & Phlogiston: duo fluida Aqua & Aër. Solida corpusculum aliquod *pbyicum* constituentia

u) Sic olea unguinosa integra emolliunt. accensa comburunt, & tanquam acria se gestant.

constituentia ipsi soliditatem conciliant eo majorem quo ube-
riora ipsi inhæreant. Fluida, identidem ipsum suarum dotium
particeps reddunt. Soliditas phlogistica aliam indolem & spe-
ciem præ se fert, quam terrestris, (quæ differentia non descri-
benda, sed ex ipsis corporibus perdiscenda); si effectus aëris
differt ab eo, quem aqua producit. Ergo dantur in corporibus
vel potius in ipsorum Physicis Elementis quatuor caræcteres,
quæ tanquam fundamenta & fulcra qualiscunque distributionis
stabiliri queunt; ex quibus pro varia proportione relativa, qua
singulos in substantiis deprehendo, concludo ad præsentiam
Elementorum ipsos nunquam non presso pede concomitantium.

I. SOLIDITAS

a) Phlogistica α), vivida, acris γ), torrida

α) Soliditatis phlogisticæ ideam facillimo negotio tibi comparare poteris, dum corpus aliquod post tostionem cum statu suo præcedenti comparaas, quæque inter ambo intercedit differentia, phlogistico habitui tribuis.

Distinctam iterum ejusdem soliditatis, ut & laxitatis aërecæ, (pu-
rum licet neutrum Elementum tibi conspicere contingat) tibi tamen
reddere datur, dum comparas corpora alterutrum maxima in copia
foventia, cum aliis, quæ alterius minima sive portione gaudent,
tuncque abstrahis ex amborum disparitate ideam, qualem & tibi
sistere contingit de eo, e. gr. quod vulgo in temperamentis hominum
cholericis, phlegmaticis &c. salutamus, choleram, phlegma ex solo
jam habitu distinguendo. Non enim hæ qualitates in corporibus ja-
cent segregatæ abs te seorsim conspiciendæ, sed in alio plus, in altero
iterum minus deprehenduntur, reliquis adhuc temperamentis impli-
catæ; ex relatione autem multorum ejusdem compagis hominum e. gr.

M

3) terrestris, *rigida* 2).

II. LAXITAS in solidis, alias autem fluiditas 4)

phlegmaticorum ad alios. qui phlegmatici plane non sunt, tibi ex ceteris tandem ideam abstractam ejus, quod vulgo phlegmaticis nomine insignimus: hoc fit, dum judicium tuum, quæ singulis ejusdem temperie hominibus invenit communia, congregat separatque inde, quæ aliis accessoriis deberi ipsi constat; posteaque claram distinctam que rei sibi præparat notam, cui si aliquid simile denuo in novo corpore animadvertisit, concludit ex analogia, & deberi eidem principio. Sic eodem modo versaris circa ideam, quam tibi de præsentia principii inflammabilis aërisve ex comparatione multorum corporum his Elementis turgentium, creare velis.

2) Caracterem hic adjeci, qui visum quidem non spectat, sed gustui modo se patefacit, sed dum mox dicta ratione phlogiston in corporibus dignoscere velis, tibi indicat hicce character, ad hunc scopum acria esse seligenda, quippe in quibus istud Elementum emineat.

2) Rigiditas similiter potius est character tactum quam visum respiciens, sed quum jam plura corpora rigida inspexeris, non amplius priori sensu eges, sed ex habitu, quem illorum rigiditas tunc tuo visui obtulerit, jam eandem in quounque alio corpore dignoscet. Indicat itidem rigiditatem esse signum soliditatis terrestris characteristicum, ex qua tibi hujus ideam comparare possis.

4) Et termino fluiditatis insignire potuisse horum duorum Elementorum effectum, sed cum neutrius in substantiis hicce locorum perstandis tanta sit copia, ut qualitates ipsorum naturales præpollere possint, alio fui coactus uti, formam, sub qua in *solidis* sese gerunt, satius exprimente.

Fluida enim laxitatem modo excitant in iis corporibus, quibus solidorum proportionem superant; hac aqua autem ad priorem minori, non amplius eadem animadvertisit, licet sat magna adhuc hujus Ele-

- α) aquosa β), succositatis speciem præ se ferens
 - β) aërea γ) vappida, languida, lenis, blanda, spongiosa? δ) turgida?
-

menti copia isti mixtioni insit: nulla sic deprehenditur laxitas in salibus, cuius moleculæ contra magna attractione sint conglutinatæ; sic nulla in extractis aquosis, gelatinosis & mucilaginous ad siccitatem iterum evaporatis, probe licet sit notum, non omnem tamen antea præsentem aquam nunc erupisse. Sequitur hoc iterum ex lege, quæ vires componuntur, dum enim quodvis alteri in miscela suas vires tribuit: si major adsit *fluidorum* ratio, magis versus horum dotes verget corpus, eritque laxum; si major solidorum, & solida magis evadet compages.

- β) Eadem disparitas intercedit inter laxitatem *solidorum* aquosam, soliditatemque ipsam, quæ inter pastam exsiccatam interque farinam, inter argillam à figulo elaboratam & naturalem; adeo in prioribus major attractio ob succos intensius agglutinatos, quæ agglutinatio autem contingere nequisset, nisi copiosiori intercedente aqua; quemadmodum & Physiologi demonstrant, gluten majori partes fibrarum terrestres nexus stringens, aquæ largiori copia turgere; ergo magna particularum ad se invicem attractio potest existare, absque ut in iisdem laxitas aquosa desit, & hinc caveas, ne hanc in debiliori attractione ponis, tibi imagineris. Laxitatis aquosie ideam facile tibi componere poteris, dum aliquod corpus bibulum in duo frusta feces, & alteri aquam affundas, quæ ejus mixtionem penitus ingrediatur; tuncque exsicces (qua operatione non omnis iterum inde abscedit, quod ex salibus evidentissime patet), posteaque cum altero frusto immutato iterum compares, quo aliquid in soliditate prioris alteratum nunc esse, siccitatemque posterioris à priori differre, animadvertes.
- γ) Distinguas velim splendorem mucilaginum exsiccatorum à soliditate

Hos singulos characteres quocunque corpus in eo vigore gestat, quo gestat elementa ipsis analogæ; quo magis itaque aliquæ substancialiæ, ratione mixtionis convenient, eo magis & in similiiori intensitate quatuor istæ notæ in illis erunt detegendæ, viceque versa; gradusque, quibus quælibet substantia nobis has qualitates cardinales in semetipsa offert, constituunt differentiam sensualem inter qualiacunque per orbem dispersa corpora intercedentem!

Dum itaque hos characteres cardinales, in concreto, ex generibus, singulis elementis maxime præditis, (videlicet ex adstringentibus, ubi soliditas rigida, ex irritantibus, ubi phlogistica, resolventibus, ubi laxitas aquosa, emollientibusve vel potius nutrientibus, ubi aërea maxime prævalens) dignoveris, & ex comparatione specierum ejusdem generis (qualis e. gr. adstringentium) cum aliis, tibi ideam quandam abstractam istorum characterum comparaveris longo arduoque exercitio, sensus inde magis magisque acuetur, ut tandem subtilioribus differentiis percipiendis fiat aptus, & pro ratione, qua postea hos quatuor characteres cardinales in aliquo corpore deprehendet,

illa *vivida* corporum phlogisticorum; ille enim pendet ab homogenea partium attractione planam superficiem politamque progignente; hæc jam ita in Elementorum ipsa natura latet, ut eundem characterem semper in quocunque aggregationis statu conservent.

Ne ex spongiositate vel laxitate texturæ tanquam ex generali regulâ semper ad aëris fixi præsentiam concludas, aër enim in poris inclusus cum interno mixtionis nullum alit commercium, sed respicias modo ad consistentiam fibræ simplicis, quæ rigidior esse potest, textura licet laxiori, quod exemplo feso offert in Agarico querno.

concludet ad eandem Elementorum in ipso præsentium rationem, exque hac vel magis vel minus cuique ex punctis cardinalibus istud appropinquabit.

Hic sensus æque probe ad subtilissimas distinctiones percipiendas acuitur, ac Musici auditus per longævum exercitium à septem simplicissimis sonis semper ad altiores, & delicatissimas eorundem bi - tri- vel quadripartitiones ascendit, adeoque, ut tandem hasce complicationes ad fractiones usque summe compositas determinare discat, momentanei modo licet sint ictus, quibus ipsius sensus feriatur.

§. III.

Lex, ex qua illi caræteres in corporibus compositi reperiuntur.

Observatur in omni Chemiæ doctrina hæc lex mixtionum: si duo corpora sibi invicem misceantur, surgit inde composita vis, quæ non amplius vires alterutrius simplicis exhibeat; sed inter ambas sit intermedia e); sic acidum vitriolicum alcali mixtum suas, qua acidum, perdit vires, alcalinasque participat, sic alcali vicissim dotes suas priores perdit, hasque cum illis acidi vitriolici communicat; ut inde exsurget composita vis media, quam **Tartarum vitriolatum** salutamus. Hic effectus circa omnes qualesunque in Chemia observatur miscelas, nec ab ullo experimento denegatur f). Hæc composita vis autem

e) Eadem est hæc, quæ inter duas vires Mechanicas est Diagonalis cf.
VARIGNON *nouvelle Mécanique*.

f) Memorabilia circa hanc rem sunt dicta MAQUER *Dictionnaire de Chymie*. T.

94 PARS II. CAP. II. SECT. II. CRITERIA

eo magis ad vim simplicis alterutrius accedit, quo major ejus ad alterum fuerit ratio: sic & hic, dum elementa quædam cum aliis commisceas, ambo suos perdent characteres cardinales pueros, orieturque, qui ex ambobus erit *compositus*; hic autem iterum ad eum simplicem eo magis accedit, quo major fuerit ratio, qua alterum ad alterum se habeat: Sic ex conjunctione terrestrium particularum cum phlogisticis, terrestris soliditas mutabit phlogistica in sui similem, eamque sibi approximat, sic phlogistica vicissim mutabit terrestrem, ut ad suum genium magis vergat, & ex ambabus consurget composita vis, quæ nec mere rigida nec mere phlogistice solida, sed inter has intermedia, & vel priori vel posteriori propior, quo plures vel terrestres, vel phlogisticæ particulæ mixtionem fuerint ingressæ. Suppone igitur talem ex mox dictis elementis oriundam compositam vim, quam (nunquam licet sit verbis describenda, nihilominus tamen optime in concreto sensibus percipienda) insignio mathematicorum more, litera A; hæc respectu iterum alias tanquam simplex poterit considerari; (quæcunque enim, quorum haud consideramus partes, sunt nobis simplicia). Ergo si sit tibi eadem non ex terrestribus plogisticis partibus fabrefactam, sed tanquam unam individuamque, & misce eidem iterum particulas aquosas; hæc ultimæ tunc infringent priorem

I. p. 51. Tous les composés ont des propriétés, qui participent de celles des principes, dont ils sont composés. Ainsi p. e. l'union de deux principes, dont l'un est fixe, & l'autre volatil, forme un composé qui a un degré de fixité ou de volatilité, moyen entre celles de ses principes. Cette remarque sur l'affinité simple de composition, fournit une loi fondamentale très-générale, & d'un très-grand usage; pour reconnoître même sans décomposition les principes dont les corps sont composés.

corporis, quod nunc ingrediuntur, vim, hocque particeps redent suæ ipsius; vicissimque perdent suam fluiditatem & participabunt qualitates $\tau\tilde{\alpha}$ A; hoc A similiter amittet priorem suam soliditatem, hancce trahet in consortium cum fluiditate aquosa in ratione, qua ambo ad se mutuo habebant; adeo ut ex ambobus nova denuo exsurgat composita vis, inter A & hanc particularum aquosarum fluiditatem media, quam B salutabimus. Huic denique adde elementa aërea; hæc cum priori iterum fluiditatem sibi propriam & ab aquosa diversam communicabunt, vicissimque B novos suos hospites sua vi impertiet, versusque eandem inclinabit; & sic ex quatuor his Elementis, horumque characterum naturalium consociatione exsurgit *composita vis QUADRUPLA*, quæ est ea, sub qua quocunque corpus se nostris sensibus offert. Sic nullum corpus perfectè erit rigidum, nisi purissima terra, nullum perfectè fluidum, nisi aqua, nullum omnes dotes principii inflammabilis aërisve præ se geret, nisi hæc elementa in statu purissimo; sed singula per orbem dispersa corpora, aliam atque aliam ex quatuor horum varie sibi implicitorum commixtione, nobis ostendent compositam vim, quæ ita dijudicetur, dum ad singulos characteres cardinales referatur, & quo magis vel ad unum aut alterum accedat, eo propior in Mappa nostra illi Elemento admoveatur. Sic tota distributio mappalis perficitur, sic totum affinitatum imperium stabilitur, sicque sensim sensimque per multorum comparationes ad distinguendas mixtiones relatives pervenimus, omneque de corporum natura ferimus punctum!

§. IV.

Huic characterum complicationi junge, si placet, affinitates odoris, saporis, formæ & habitus exterioris (nervorum in plan-

tis dispersionis) & texturæ variarum compagum; sed probe ca-
veas, ne horum ullum solum de tua re judicem constituas, in
devia enim quæque ruunt, uti jam Cap. I. probaveram, sed
audi ipsorum consensum! & si quas hujus lex sibi vicinas affer-
at substantias, certo ex syndrome quatuor cara&terum eandem
affinitatem quoque perspicias, ut itaque mixtionem, experien-
tiā & qualitates corporum sensibiles rite dijudicatas, pari
passu se semper comitari animadverteris g).

Sunt mox dictæ qualitates magna omnino subsidia, quæ
sensem illum chemicum multis modis sustentare, facilitare, atque
dirigere queunt, quibusque tuæ menti abstractis, vix non æque
ægre, ni exercitatissimum sit tuum sensuale judicium, Mappam
tuam disponere poteris, ac membris truncatis vel agere vel am-
bulare; licet enim nec brachia nec pedes per se gaudeant facul-
tate movendi, hisce tamen ablatis, & iners esse cogitur anima
motrix; sic & hic syndrome quatuor in corporibus deprehen-
dendorum cara&terum cardinalium, est anima & rex reliquo-
rum supra dictorum (odoris, saporis &c.): sed si hi desint & de-
sunt instrumenta è longinquò prædisponentia, & nimia mole
obruitur summus judex sensus ille chemicus!

Sed quale non nisi exercitatissimum judicium iis carere po-
terit, talis & non nisi jam sat in experientiæ coticulis tritus ex-
ercitatusve sensus iis prudenter uti norit. Decipieris enim ino-
pinanter mox à convenientia colorum, mox habituum, mox
texturarum &c. ex quibus nimis præcipitanter duces rationes,

&

g) Hoc tanquam axioma, mihi Mappam exaranti, sexcenties pa-
pabili evidētia probatum.

& falso loco tuam substantiam affiges. Errores autem, quibus tunc obviam ibis, irruent certo certiores, si ex illis qualitatibus seorsim, nec cunctis simul in consensu consideratis, tua derivaveris. Totum itaque & ex omnibus partibus compositum, nec speciales aliqui characteres hicce locorum capienda, comparanda & dijudicanda.

Sed antequam hic sensus per longævum exercitium ad omnem suam puritatem subtilissimumque discriminem fuerit perductus, ut tanquam hujus artis magister, nullo alio amplius egeat indicio, omnino, quo exactius, citius, veriusque talis Mappa condatur, necesse est ut *experientia b)* prima rei dux adstet; & hac absente nil nisi inania fere procreabis; non eo quod hi modo allegati characteres veritati non sufficient; sed quoniam tam *intricatae* saepe eorum compositiones in rerum natura occurunt, ut summa nonnisi opera, summa mentis adstrictio & sensus solemniter rei imbutus, gravissimos errores, in quos hæ ultimæ lubentissime inducunt, possint evitari. Ut enim pictor, cuius operibus natura ipsa non præsidet, in devia semper ruet, sic & hic, ubi experientia genera saltem, maxime naturaliter non prædisposuerit, in vano titubabimus, nec nisi strenuo ardore atque industria rectum tramitem attingemus.

Dum enim totum substantiarum cahos sensibus tuis solis dilucidandum restat, confusione, quæ simul tuum visum opplet, rerumque discordia, quarum comparatione continuo in diversa

b) Hoc nomine insigniam hicce locorum brevitatis gratia *consensionem generalē* reliquorum indiciorum, de quibus jam Cap. I. egi, & quorum singulorum devia (si seorsim sequemur) ibidem indicavi, sed quorum conspirationi omnino fides habenda.

rapitur sensus, (mox à corpore, in quo soliditas phlogistica prædominium habet ad aliud, in quo laxitas aërea dominat, mox à soliditate terrestri ad laxitatem aquosam, & sic ab uno ad alterum, horum characterum infinite diversos gradus, omni analogia i) mutua depræditos, promiscue inspiciendo) ita istius tonus, vis (quasi) elas̄tica, atque acumen mutilatur, obtunditur hebetaturque, ut nil sani producere queat; hinc premente confusione obruitur, & opus fastidiens reponit.

Analogia porro characterum facit, ut si corpus consideres, in quo quoddam Elementum prævaleat (qualis e. gr. terra in Creta) & aliud e. gr. amylon, cū priori compares, nec experientia suffultus sis, nullum aliud elementum facilius in amylo tuæ menti præsiliet, nisi quod ambobus est commune, terræ nimirum portio reliquaque hujus ultimi ingredientia inconsiderata negliges, nil ipsis in creta affine reperieris; dispones itaque ambas substantias modo ex qualitate, quam sibi communem gerunt, scilicet terræ portionem & sic duo diversissimæ naturæ corpora sibi adunabis; Taliū & aliarum adhuc fallaciārum periculum facillime adibis, nisi experientiæ digitus eas præcaveat.

Hujus lux denique omnino necessaria est, ut quædam corpora, quæ hæc ex omnibus dotibus perquisivit, stabilivitque, quo certus quidam in Mappa locus illis summo jure statuatur, tanquam indices nostros erigamus, quibus dein utut cognitis corporibus Algebrarum more ad incognita investiganda utimur, hæc ad priora referendo, & pro majori vel minori cum istis

i) Ex cuius analogiæ legibus omnes nostræ mentis functiones peraguntur.

consensu & illis variis distantias appropinquando. Experientia autem, quod probe notandum, sola non nisi pralaborandæ rei è longinquo sufficit, omnesque ejus vires hic exhauiuntur; accuratius affinitatibus rimandis determinandisque omnino est impar; nimis enim est implicata, quam ut alius nisi debilis fulgor exinde nobis præradiare possit: tunc autem, quum ob nimiam rerum & ratiocinii obscuritatem docere nos desinat, sensus demum accedit, qui ultimam magistri manum rei admovet, sicque illius *supplementum* jure meritoque poterit salutari.

Sed hoc supplementum esse justum fidumque, nec eo quod experientia ipsi probando haud sufficiat, esse ambiguum intelliges ex eo, quod substantias, quarum tam mixtio quam vires me latuerunt, referendo ad alias satius mihi notas, ita experientiae consentaneas collocaverim, ut huic dein accessæ atque consultæ mea loca optime respondere animadverterim; sic per semestre ante Cl. CORVINI de aëre factitio experimenta, mihi talem chemicarum præparationum tabulam ex solo sensu elaboravera, nec ex alio argumento Mercurium præcipitatum rubrum, Carbones, Calcareas terras &c. aërem versus delineaveram, quam quia soli meo oculo ita videbantur, tunc demum autem latus exsurrexeram, cum ex amico accepisse, tantam aëris fixi copiam ipsi inde extorquere contigisse.

Unum altero penitus carere vix potest, nisi jam sensu ad summum exculto; à rerum initio autem se mutuo egregie sustinent, summo lumine collustrant, reciprocisque defectibus supplant, quod perspicue cernimus in hac mappa, quam ex foliis auctorum licet celeberrimorum sententiis & datis nequam potuisse construere; sed tunc demum, quum hic sensus mihi accesserit, quum viam, qua procedendum foret, illustra-

N 2

verit, illustrando semper indigitarit, quam fidelis comes mihi nunquam non esset experientia, tunc demum de sua præstantia me reddidit certiore, ut eo fidentius me duci sim passus ad auricomæ sacraria celsa Minervæ.

In elaboranda itaque hac Mappa, consilium primo petii ab experientia, in quamnam hæc quodvis medicamen relegaret regionem, tunc perquisivi ipsius characterum cardinalium concussum, an jusso loco conveniret, vel vicinis amicum se gereret: si non, id statim removi ad alium, quo mihi mixtio ejus naturalis magis vergere videbatur, & cum experientiæ doctrina adhuc semper aliquatenus fit anceps, uti Cap. I. Sect. II. probaveram, ipsi diffidebam, ubiunque sensus mihi abnuebant, fidebam modo, ubi amborum annuebat conspiratio. Sic istam sequutus sum in referendis substantiis ad debitas generaliores classes, quod contra differentias ejusdem generis medicamentorum iterum specificas attinet, has ex solo habitu disposui; quo facto species ex pluribus generibus sibi viciniores denuo conjunxi, quæ totum genus post se trahentes, vincula mihi erant, quorum ope pro varia habitus analogia & ista in ea viciniæ commercia disposueram, quæ ex hujus lege mihi videbantur, quæque in Mappa tibi offero. Nil ergo mihi indicavit experientia & sistema III. præcipue SPIELMANNI, nisi catalogum earam substancialium, quæ jure ad idem circiter genus referuntur; reliqua tota distributio tam specierum quam generum inter se, solorum est opus sensuum, quod Cap. III. cum experientiæ dictis omni modo consentire probabo.

N O T A E.

- I. In cunis umbratilibus jacet adhuc hæc ars *sensualis*, sperare autem licet forsan in tantam gloriam, dignitatem, fidem ac securitatem evectum iri, ut pari passu cum experimentorum certitudine prodire possit, quin imo horum obscuritatem divina, grata, felicissimaque luce penitus collustringet.
- II. Quæcunque Celeberr. W E T S C H k) de pulsu examine prædicat, & hicce optime locum habent, scilicet requirit hujus sensus exercitium, liberum in primis à quacunque præjudicata de mixtione aut sententiis aliorum opinione, liberum animum, attentionis & insignis industriæ capacem, patientiam atque tempus.
- III. Ne autem cum magna imaginationis tortura tibi istam proportionem Elementorum sistere tentes, hac enim non nisi inepta creabis, non rerum quippe convenientiam naturalem dispones, sed qualem tibi eam depinget imaginatio. Fide itaque tuto tuis sensibus, & quidem quam nudissime, absque ulla reflexione, ulla meditatione, ullove ratiocinio, memor effectum in tuum oculum esse effectum pronissimum è corporum mixtione; conspirantibus autem effectibus, & necessario conspirabunt horum causæ, scilicet mixtiones medicamentorum.
- IV. Ex antedictis facile tibi collendum; non verbis quidem determinari cum GALENO posse gradus, an quartus, quintus &c. quibus singulæ substantiæ vel siccæ vel humidæ &c.

k) Medicina ex pulsu p. 6.

sint, sed relative modo afferi, an altera præ altera vel plus vel minus, aliqua qualitate præpollet, & hinc potius huc quam illuc in Mappa collocari mereatur. Non dari modo, perspicis iterum, sedecim gradus, quibus naturalia corpora characteres primarios inter se participant, sed totidem, quot inter corpora naturalia differentiae!

V. Perspicis porro ex antedictis, nequaquam ex hoc habitu primo dignosci posse intuitu vires medicamentorum, quales vulgo assumuntur, scilicet relativas, sed modo horum basin scilicet mixtiones: cum autem priores ab hisce pendeant, facillimo negotio erunt dijudicandæ; quæ eandem etenim circiter gerunt mixtionem, & sub *iisdem conditionibus*, eandem semper sortiri debent eventum. Cave autem, ne in applicatione decipiari, dum per experimenta practica mixtionum hic stabilitarum affinitates tentare probareque velis, ni enim eadem penitus adsint in duobus individuis circumstantiae, morbosque comitantes conditiones, aut aliæ simul adsint, quæ priorum differentiam iterum compensent, indubitate falleter tuum experimentum.

VI. Cum nequaquam vires medicaminum, sed modo harum causas scilicet mixtiones relative modo, mea theoria ex simpli- ci aspectu eruere doceat, quanto cœlo ab ipsis veterum signatu- ræ asseclarum principiis distet, quisque sane perspiciet; sunt enim illorum characteres superficiales, inconstantes, nec ex- perientia ubivis suffulti, mei contra, in ipsa Elementorum natura latitantes, ab his itaque in quovis corpore præsenti- bus inseparabiles & ex forma desumti, quam cuique numen supremum Elemento ex æterna lege indidit, ut eam ad ulti-

mum quoque rerum finem conservet. Ergo cur cum prioribus haud æquo jure rejiciatur, palam fit.

VII. Videtur mihi hæc methodus quam maxime naturalis esse corpora in affinitates suas ordinandi; nulla enim major affinitas, quam quæ ex mixtione corporum desumitur, corpus enim ejusque mixtio sunt plane synonyma, nec alterum nisi cum altero potest mutari.

VIII. Quantum in hoc labore, corpora in vicinitates quam maxime naturales collocandi & sensuum exercitii, & industriae & accuratissimæ indaginis exigatur, cuiusvis ipsius judicio committo; hinc cur primum tam novi, rudissimi & à mortalium nemine dudum exarati generis conamen huc illucve adhuc forsitan hallucinetur quisque non videt; sed methodum aliquantis per indicasse sufficiat, ex qua forsitan olim melius exarari communique usui magis magisve accommodari possit. Ut hoc fiat, à tempore, exercitio, sedulaque rei disquisitione etiam atque etiam haud fallaci in Lectorum veritatis studium fide, exspecto.

IX. Sensus iste æque subtilem acutumque discernendis affinitatibus visum ac ars musica expostulat auditum, quo tonorum scalam ad harmoniaæ leges intendere ac omnes qualescumque aliis imperceptibiles gradationes sponte percipere possit. Quantum autem tyro musicus ab experto differt! hic inter innumeros ludentium tonos vel minimam quamque dissonantiam acuta aure percipit, dum alter nil quicquam suscipitur ¹⁾.

Si quæris ergo, cur præcipue hanc alteri substantiam in tali distantia admoverim? respondeo: ob eam præcise ratio-

¹⁾ WETSCH Med. ex pulsu. p. 9.

nem, ex qua musicus suos in tali ordine disponit tonos, sensualem scilicet harmoniam; sed hanc experientiae arctissime ubivis adstrictam tenere, probabo inferius Cap. III.

X. Principium, duas contrarias vires, æqua proportione præsentes, amicas sibi manus nequaquam posse porrigerere, introspiciendam mihi dedit hanc legem: quod corpus quodcumque, quo plus alicujus Elementi vehat, eo minus de opposito possit continere, (sic quo plus principii inflammabilis alii corpori inest, eo minus aëris simul ipsi sub eodem volume inesse uberius infra patefaciemus, (quod idem & de terra aquave observatur) & me de possibilitate certiore fecit, aliquam talem Mappam principio mixtionum facillimo negotio posse superstrui, mihi quoque dilucidavit viam, ex qua qualesunque in rerum natura obtinentes mixtiones evidentissime possint ob oculos poni.

XI. Dum sola in sensus fiducia longe plurimis medicamentis affinitates locaque in Mappa stabiliverat, quæ postea experientiae maxime consentanea reperiebantur (Cap. II. Sect. I. §. I. & Cap. III.) hinc & securo omni iisdem, uti reor, fidere licebit circa alia, quorum virtutes vel famæ celebrioris defectus, vel inobservantiae aut timiditas quorundam practicorum ad maxime accredita modo confugientium, nondum accuratius determinaverant, specialioribusque tutis experimentis stabiliverant; hinc sat multorum locum non ex experientia (deficiente), sed ex solis sensibus hujus supplemento probare licebit.

XII. Ob distinctiones genericas, à systematicis commodi gratia stabilitas, quibus unum medicamentum potius ad alterum quam ad alterum referunt genus, Natura ista nequaquam ita fejunxit,

lejunxit, ut non per rete aliquod, quod luculentissime tibi offertur in Mappa, singula genera iterum cum se invicem ne-
ctantur. Ergo sequaris hoc præprimis, negligens ceterum
punctuatos cuiusvis generis limites, non nisi systemata Au-
ctorum, præsertim Celeb. SPIELMANNI aliquantis per sequen-
tes, nequaquam autem reales verasque naturales differen-
tias indicantes.

XIII. Inter plurima, quæ de Mat. Med. conscripta legi, com-
pendia, *Classificationem* celebritate sua dignissimi SPIELMANNI
in primis nostro habitui chemico respondere inveni; (vix
enim non omnia, quæ Ipse ad idem retulerat genus, & ean-
dem circiter quatuor characterum cardinalium commissuram
tenent). Non est hinc vana fides discipuli in Præceptoris tan-
quam oraculi verba; non est stupida & superstitionis edo-
ctorum assumptio, sed ipsa Ejusdem systematis cum Natura
comparatio, quod me commoverat, ut Ejus præcipue classifi-
cationem, in ordinandis distribuendisve meis generibus
mihi proposuerim.

Cum porro proprie *mixtiones* modo, minus autem, nec nisi
accessorie quasi, vires medicaminum relativæ indicentur in
Mappa, facile intelligis, quod genericæ ipsa affixa nomina
non denotent strictissime, tales effectus semper nec alios
quoque interdum ab iisdem remediis peragi; sed cum cun-
cta in rerum Natura relativa lege contingent, palam fit,
eadem hæc in diversis aliis casibus aliorum quoque gene-
rum præstare posse virtutes; ita ut nullæ certæ unquam re-
gulæ de talibus effectibus statui possint. Sic Irritantia sæpe,
à Resolventibus stricte sic dictis quam maxime licet remota,
horum tamen vicibus, præcipue minori dosi exhibitæ pos-

O

sunt fungi, & sic de reliquis. Vires itaque genericæ modo à generaliori usu, & in Auctorum gratiam indicatæ perstant, nec certi aliquid nisi respectu virtutum corporum absolutarum naturaliumque, minus autem relativarum respectu, delibandum præbent.

XIV. Ad loca, quibus quatuor nomina cardinalia adscripsi, netibi fingas, revera referenda esse terram clementarem, seu purissimam aquam, nec phlogiston &c. denotant enim modo plagas, versus quas reposui, qua largiore singulorum Elementorum copiam fovere, designare volui: pro relativâ enim reliquorum medicaminum à se invicem distantia, terræ puræ (seu vitri hactenus tanquam talis saltem reputati) punctum ab his iterum ad unum vel sesquipedem forsan in linea A B versus A, extra Mappam effet removendum, sic & aqua purissima, punctum ad duos vel tres pedes à Mappa, in indicata linea versus B distans teneret; sic linea à puncto phlogistæ versus illud aëris descendens alteram A B, à terræ purissimæ punto ad aquam protractam, in medio perpendiculariter secaret; dum singula Elementa æquam à se invicem differentiam in statu naturali respectu virtutis propriæ elementaris, à Creatore ipsis inditæ, videntur tenere: hoc quidem ob constantem generalem totius universi ordinem æquilibriumque, nullius irregularitatis circa simplicissimorum Elementorum affinitates suspicionem nobis relinquentia. Cum autem, ut haecce designarentur, sine modo Mappa fuisset amplianda, his punctis cardinalibus determinandis, solummodo plagas innuens, supersedi.

Ob eandem rationem, ne in nimium volumen excresceret Mappæ ambitus, coactus fui omittere substantias nimis ter-

restres, præparata ex plumbo, Lithargyrium, Cerussam, Minium &c. nimis reliquæ vegetabilium mixtioni dispara; ut & cuncta fluida tam resinosa, quam Mercurium, quam denique Emollientia, in quorum indicandis modo nominibus substulti, dum ipsorum vires in tot celebrioribus de Mat. Med. scriptis sat fuse expositæ perstant.

SECTIO III.

Demonstratio Mappæ sensualis.

Postquam itaque tuorum sensuum aciem strenuo exercitio castæ experientiae adaptaveris, assume de quoque pharmaco exsiccato, quale quovis momento ægrotis e pharmacopolio exhibetur, aliquod similis circiter voluminis frustulum, dispone hæc exactissime similibus, sed majoribus, si velis, pro magnitudine frustulorum, distantiis in eundem ordinem, ac Mappa tibi præmonstrat; posteaque sis testis, annon ex sensuali substantiarum comparatione in iis, quæ magis principium inflamabile, vel terram, vel aquam &c. versus removeram, re vera tibi major horum Elementorum proportio, & quidem in ea ratione qua singulis punctis cardinalibus magis appropinquata fistuntur, ex simplici chemico habitu rerumque aspectu, affulgeat! Sic ex solo hoc habitu sensibilibusque inter corpora affinitatibus totum hoc Mappæ ædificium construxi; sicque specimen mecum conservo, quo in tabula grandiori singulis asteriscis *m)* ibi nominati pharmaci aliquod frustulum vix pipe-

m) Asterisci enim in Mappa conspicui, notant proprie punctum fixum, cui quæcumque substantia affigi debet, verumque individuum singu-

108 PARS II. CAP. II. SECT. III. DEMONSTRATIO

ris granum magnitudine exsuperans agglutinavi, in quo optime gradatæ hæ chemicæ degeneraciones oculo jam perspici queunt, & pulcherrimo spectaculo successivæ characterum cardinalium accrescentes vel decrescentes intensitates prouti vel magis vel minus alicui plaga propiores, patefiunt; talem & tu tibi compara, si exemplar talis opificii tibi ob oculos ponere velis, ex quo habitus illos chemicos certius saltē citiusque, quam ex rudiori natura, quæ, dum sibi ad infinitum implicita, te omnino repudiabit, si nullius adhuc opera digesta, tibique prædisposta fuerit) discernere discas, tuumque hinc chemicum sensum acuas. **Hic enim mihi eadem ratione poliri emendarique posse videtur, ac sensus ille æstheticus;** quid enim ibi præstat operum, à viris in hac arte maximam operam navantibus, exartatorum cum ipsa Natura comparatio; hic itidem meorum assertorum ad ipsam eandem Naturam relatio præstabat, ut, ad quænam præprimis hic respiciendum sit, discernatur, caracters ruimque sensus reddatur familiaris.

Dum, hoc facto, syndromen quatuor characterum in quacunque substantia lustrabis, videbis, in Adstringentium e. gr. genere, cupressi lignum multo majori soliditate terrestri gaudere, quam Myrobalanum Belliricam aut Tormentillæ radicem; inter has iterum priorem satius præ posteriori, de phlogistica soliditate participare; in Bistortæ radice laxitatem aquosam dominare; præ prioribus, in sanguine Draconis, Quercuum glandibus, Agarico querno &c. præpollere æream & inter hæc quidem eam intercedere differentiam, ut in duobus prioribus

larum locum, qui omnino per nimis vastum sepe non nisi spatum, minus præcise suisset indicatus.

20

intensior phlogistica soliditas fit conspicunda quam in ultimo, sicque de reliquis. Cernes singula præ alteris, his dotibus magis esse imbutas, in ratione distantiarum qua à se invicem remota sunt; sicque per totam Mappam, & qualiacunque in ipsa delineata individua (non enim ex hisce, quæ eidem generi subdita, indiscriminatim disposita, sed quocunque pro sua convenientia vel discrepantia cum omnibus congeneribus exactissime ponderatum, cumque maxima cura in distantias collocatum) hocce principium persequens, ubique cernes rem fat sensibilibus vinculis se ita habere, discernesque facillimo negotio, quomodo isti characteres cardinales successive in substantiis degenerent iterumque cum vicini Elementi dotibus sese conjungant; sicque arctissimo sensus inter experientiamque consensui ipse annues mirabundus!

Eadem, quæ circa individuas ejusdem generis species & circa relationes & vicinitates integrorum generum, valere nemo non videt.

Si tunc hæc cuncta quam maxime strenuo sensuali judicio disquisiveris, teque de veris affinitatibus specierum ad idem genus relatorum certiorem reddideris, an Cel SPIELMANNI classificationem à nuda ipsa Natura dictitatam fecutus sim, ignarus adstabis!

Licet dum sensuum afferta, illa ratiocinii longe præponderent, & quando aliquid ad illorum evidentiam potuit ascendere, omne tunc ulterioris ratiocinationis tulerit punctum, licet porro quemcunque mecum eadem cernere (dummodo experimentum facere velit) ubivis liceat; organis illis nobis prælucentibus ratiocinio plane supersedere potuisse; sed ut patet, ea, quæ sensibus meis jam observanda patebant, revera quoque ab

O 3

experientia probari, quæ Cap. tertio sequentur, addam; ne ul-
lum unquam dubium amplius superfit, quo minus in sensu rite
exercitato eadem jamjam lateant, quæ postea per multifarias
rerum inquisitiones, observationes, ac experimenta demum eru-
untur; nosque casto acutoque sensui comparativo fidenter in-
niti queamus, absque ut abnuat suprema semper omnium re-
rum judex, experientia.

C A P U T III.

Demonstratio Mappæ Rationalis.

S E C T. I.

De Phlogistō.

§ I.

Inter pura Elementa minime fere nobis adhucdum notum est inflammabile principium, in tot diversis corporibus se tam diversimode gerens; hinc cum ejus cognitioni multa tamen in Mappa superstruere cogamur, aliquam quippe nostri totius ædificii columnam constituit, paulo prolixius sub quoniam caractere essentiali se istud in corporum mixtione exhibeat, rimemur. Hunc autem esse *acrimoniam* statuo, sequentibus argumentis initens.

§. II.

Causam magni momenti ago, probans, principium acrimoniæ inflammantis, calefacientis, rodentisve esse principium

inflammabile ⁿ⁾ , Phlogiston seu principium istud elementare, vix non cuncta nostræ telluris creata ingrediens, & quod tanquam Elementum primitivum consideratum, multum ab ignea materie sub flammæ forma se nostris sensibus exhibenti differt, corpora, quibus varia ratione inhæret & vario gradu, vi sua elementari imprægnat, acrimonias calefacientis vim in nosmet exferenti seque stimulo & effectibus ad inflammacionem vergentibus nobis manifestanti.

Si substantias itaque tales præcipue acrimoniam edentes, multum principii inflammabilis constituere per chemica experimenta enodatur, sane etiam quam maxime verosimile redditur, istud Elementum esse hujus principium.

§. III.

Si porro principium istud ubi vis flammam constituere juvat, in hacque prorsus ex mixtione sua eripitur, siue juris *elementaris* iterum fit, ex effectuum analogia, quos tunc edit, ad vires ipsi naturales, & quibusnam corpora impertiri debeat, quæ ingreditur, concludere aliquid licet; sed dum novimus id, quando fere purum circumvolitat, eminus inflammare, minus autem rodere, inferre sane licet, vires ejus *naturales* esse tales, & corpora, quæ similes circiter cum ipso edunt effectus, eodem præprimis scatere.

Dum vires cujusque corporis absolutæ se habeant in ratione directa proportionis quatuor Elementorum id componentium,

ⁿ⁾ De phlogist^o seu inflammabili principio hic locuturus, intelligo sub hac voce id semper in statu suo-subtilissimo, purissimo & maxime Elementari; nec varias distinctiones specificas, à variis celebrioribus chemicis ad id altius determinandum, hic moror.

horumque virium naturalium ; necessario quo plus elementorum phlogisticorum corpus aliquod vehat, eo magis & ejus vires ad vires illorum naturales elementaresque accedere debent : dum autem principium inflammabile per igneum motum e priori sua mixtione solutum summe causticum evadit, summe quoque probabile inde fit , quod medicamenta rodentia id maxima copia con neant.

§. IV.

In *fumo* circumvolitant multa principii inflammabilis Elementa declarata per physicum illud experimentum, quo ille admota candela æque fere accenditur ac per ipsam flammat. Eadem porro evidenter se eo patefaciunt, quod aëris elasticitatem destruant ^{o)}; (effectus omni phlogisto ex sulphure &c. soluto proprius, quique veram horum Elementorum naturam, uti infra patebit, indicat oppositionem; licet enim fumus non puro principio inflammabili constituatur, hoc tamen in eo abactum jam tanti est juris, ut nihilominus isti hancce injuriam inferre possit) sed illius acrimoniam jam sat evidenter persentiscunt tam oculi quam pulmones: cur ergo illi principio hanc qualitatem abnegaremus ?

§. V.

Phlogiston in lapide calcareo per combustionem augetur (quam veritatem nunc omni fere dubio eripuerunt nuperrima experimenta amici suavissimi Cl. AMBURGER ^{p)} ; aër inde ex pellitur,

^{o)} SPIELM. Inst. Chem. §. LXXX.

^{p)} Dissert. de Calce viva. Gießæ 1776.

pellitur, hacque encheiresi ita mutatur calcis natura ut lenem antea absorbentemque indolem, nunc *viva* reddita in summe rodentem, inflammantem, causticamque transmutet; cui ergo Elemento hæc metamorphosis subitanea tribuenda, cum per combustionem longe plurimæ substaniæ acrimonia imbuantur? Olea unguinosa per calorem tempestatemque æstivam multo citius quam hibernam acria rancidave evadunt; quod nulli alii, nisi isti vi, inflammabile principium, vel ut aliis placet, acidum ex aëre sibi attrahendi, tribuendum, aliud enim quod accedat, nil perspicio. Eadem justo intensiore calore expressa, acrimoniæ iterum inducunt q).

§. VI.

Olea porro odorata præ unguinosis sunt multo intensius acria, multo magis stimulantia, multoque magis calefacentia, sed differunt ab his defectu partium gummosarum r) quibus multum aëris inesse inferius probabitur, cur itaque in ultimis, inflammabile principium multum temperatum per oppositum Elementum perficit, in prioribus contra intensius, multoque evidentius sui juris sit, & hinc vires sibi naturales præstantius edat, nemo non perspiciet.

§. VII.

Resinas ex oleo æthereo acidoque minerali constitui, Chemici probant. In priori phlogiston obtinere nemo non dubitat, & de posteriori idem mox infra probabo; cum autem nos irritent, stimulent, calefiant; omnesque acrimonie dramata per-

q) SPIELM. l. c. §. LX.

r) Id. p. 218.

agant resinæ tam in substantia ingestæ quam inflammam accensæ (qua omnes ipsarum particulæ sui juris evadunt) sat acrem & licet suavem, attamen si nimis intendatur, intolerandum fumum spargant, hæc cuncta principio inflammabili, sat magna copia eas constituenti, deberi, quis est qui inde non colligat?

§. VIII.

Principium Electricum, quod satius ad principium inflammabile, quam ad ullum unquam aliud Elementum refertur, ex omnibus relationibus se tanquam acidum gerit^{s)}. Sed principium acrimoniæ acidæ, esse istud phlogiston cum copiosiori aquæ, rariorque terræ portione commixtum, quod ad summum intensitatis gradum in aliqua substantia auctum eam quoque rodentem reddat, & quod acidum vitriolicum nitrique purissima fortissimaque testantur, nuncce probaturus sum.

§. IX.

Acidum Vitriolicum ignem æmulatur, dum plumam seu linteum in carbones statim convertit, sed ideo & videtur multum ejus principii fovere, quod per ignem denudatum, sive hic juris iterum factum, omnes fere substantias sua penetrantia dilacerat atque divellit, principii nempe inflammabilis, dum effectibus, ipsi puro propriis, tantopere se appropinquat.

Si acidum vitriolicum effectus exserit reliquis substantiis, multo phlogistis scatentibus, communes, etiam inferre licet, ex similibus cum hisce conflatum esse principiis: quales enim effectus, tales se habent causæ. Sed constat, in acido nitri, quod

^{s)} Journ. Encyclop. 1774. T. VIII. P. I. p. 132. sq.

proxime ex sua natura, plurimisque dotibus ad istud accedit τ) multum inflammabilis principii latere: hoc à nullo chemico- rum denegatum, & evidenter patet ex vi, qua pollet, olea inflammandi π) nulli omnino alii elemento tribuenda; ex fumo quem spargit, quique nec purus aqueus, nec aëreus esse potest; exque ejus detonatione α). Ambo porro maxime affinia sunt principio inflammabili (cujus luculentissima testimonia nobis largitur Chemia γ): sed ex totius ceterum Naturæ am- bitu novimus, nulla corpora se unquam sponte in eodem con- nubio ferre, nisi quæ aliquid analogi respectu suæ Naturæ con- gerant; sic pura terra nunquam in consortium trahit contraria fibi aquam, & si salia aquæ connubium intrent, videtur hic nifus pendere ab aqua jam antea in ipsorum mixtione la- tente. Sed unde acidorum mineralium natura ad principii in-flammabilis vergeret, nisi ex hoc eodem ea maxima copia con-

τ) MAQUER *Diſ. de Chym.* T. I. p. 11

π) Id. ibid. p. 17.

α) SPIELMANNI *Inst. Ch.* p. 254.

γ) Acidi nempe vitriolici cum phlogisto affinitas perspicitur ex spiritu sulphuris, Martis Vitriolo, & insigni hic ejusdem in ferrum nisu. Id. ibid. p. 153. Ex observationibus *Angeli Sale Anat. Vitriol.* T. I. Cap. II. & Cel. MANGOLD *Act. Mogunt.* I. 274. ubi idem & aliis sub-stantijs junctum, tamen in Alcohol est pronum. Cf. denique tabulas affinitatum Cel. GEOFFROY & GELLERT, observataque quibus super-structæ. De nitroſi acidi cum eodem Elemento affinitate cf. MAQUER *Diſ. de Chym.* T. I. p. 14. candem hac de causa sententiam fovens: *ce qui vient probablement, de ce que le phlogistique est lui-même un de ses principes.*

stituente? morem enim semper gerit cujusque corporis natura illi, qua prædita sunt elementa id componentia.

Experimentum de acidi vitriolici mixtione ^{a)} nequaquam meam sententiam evertit, probat enim quidem, ipsi terram inhærere, contra principium inflammabile autem nequaquam aliquid facit. Acidum enim illud dilutius, quod cum oleo thereibinthinæ inspissato transcendit, non est mere aqueum, sed est adhuc acidum & qua tale, aciditatis principio adhuc debet scatere; dum autem hoc phlogiston esse statuo, quænam experimenti pars me unquam condemnat? & destructi olei vitrioli, cuius terra in retortæ fundo remansit, principium inflammabile cum copioso fumo albo & aqua, per calorem motusve insignes evolutum excitatumque, in auras abiisse plus quam verosimile est. (Remanens terra, exactius omnino mihi mereri videtur scrutinium; cum enim certo pura non sit, sed aliis adhuc elementis commixta; forsan & huic aliquid illius principii accrevit, eo proprius, quo tanquam solidum, se quoque gerat.)

Quicunque autem mihi obverterit, id nulla unquam ratione e nostro oleo potuisse separari; illi multa alia ex Chemia opponam exempla, quibus evidentissime principium aliquod in corporibus compertum habemus, nec tamen nobis patefacta fuerit via, qua illud exinde elicere potuissimus. An enim nostra Chemia est jam plenaria Naturæ magistra? quanto eheu! intervallo adhuc distat, ut tanta gloria dignitateque possit unquam superbire! Potesne (ut hoc solum allegem) aquam, spiritui vini rectificatissimo essentiale, alia ratione, nisi totius

^{a)} BOYLE Chym. Scept. P. IV. p. 133. KUNKEL *Chymische Aimerk.*

p. 93. GEOFFROY *Mém. de l'Acad.* 1704. p. 278. SPIELM. Inst. Chem. p. 143.

mixtionis destructione, eripere, & tamen eam evidentissime isti inhærere, æque fluiditas, ac BOERHAAVIANUM a) experimentum tibi colligere dant. Sed in experimento mox dicto acidum vitriolicum quoque destruitur.

Ex Sulphure porro eadem veritas luculentius patefit. Præceps enim hujus inflammabilitas & exigua principii inflammabilis, ipsi sub metamorphosi accendentis portio (quam experientia STAHLIANA loquuntur) longe deficiens, ut tantam vim soli phlogistæ propriam, elasticitatem sibi opposito aëri demendi, (quæ videre est in accenso sulphure) ipsi conciliare possit, sat meæ suspicioni favere videntur, reliquum phlogiston hic agens, jam antea acido vitriolico inhæsse. Nec ullo alio modo res legibus Naturæ consentanea poterit explicari. Suppone enim, acidum vitriolicum omni plane principio inflammabili carere, cunctaque istius Elementa huic esse aliena, nonne absurdum foret statuere, tantam Elementorum copiam, à tantilla alias portione subigi, natura sua orbari, inque alienum genium posse transmutari? nonne vis ipsis naturalis istam debilioris principii inflammabilis longe præponderaret, & tanquam fortior, hanc potius infringeret, quam ab ipsa subjugaretur?

Sed si acidum vitriolicum jam tanta principii inflammabilis copia scateret, ut inflammabile ipsum foret, prono fluenter alveo? Minime. Ex inflammabilitate enim quidem semper ad istius principii præsentiam concludas, nequaquam autem ad ejusdem absentiam ex non inflammabilitate b). Possunt enim & aliæ subesse causæ, istam vel retardantes, vel plane præ-

a) Elementa Chemicæ T. I. p. 321. 322.

b) MAQUER *Elem. de Chymie-Theor.* p. 17.

dientes, qualis in nostro casu nimia acidi aqua, qua in sulphure ablata, hoc ad omne suum jus inflammabilitatis iterum retrogreditur. Dum enim illa adhuc abundat in sulphuris generatione, nondum tanquam inflammabile se gerit, sed modo tanquam spiritus sulphuris, non accendens; & principium inflammabile licet in istius mixtione jam evidentissime sese patefaciat, non prius tamen in flamمام erumpere potest, quam nimia inde aqua expulsa c). Qualis ergo spiritus sulphuris, qui manifeste phlogiston vehit, ob nimiam tibi adhuc immixtam aquam nondum inflammationem admittit, tale & acidum vitriolicum, inflammabili principio ex maxima parte potest componi, nec tamen ob eandem humiditatem in flamas cieri.

Quum carbones, qui omnino sunt inflammabiles, *acidum vitriolicum* vehant d), & hoc, dum cum istis potest comburi, quoque totum quantum *inflammabile esse* (quando ab omni superflua

c) cf. MAQUER *Dictionnaire de Chymie*. T. II. p. 210. Quoique l'acide vitriolique ait toujours une grande affinité avec le phlogistique, la présence de l'eau empêche toujours ces deux substances de contracter ensemble une union intime. Delà vient, que lorsqu'on combine l'acide vitriolique avec des matières inflammables, il ne se forme point de vrai soufre, mais seulement de l'acide sulphureux volatil, toutes les fois, que l'acide vitriolique, ou le corps inflammable sur lequel il s'agit, contiennent de l'eau. Il se forme à la vérité quelquefois de vrai soufre même dans les liqueurs & par la voie humide; mais il faut toujours, qu'alors les choses se passent de maniere que l'acide vitriolique & le principe inflammable se séparent de toute eau surabondante.

d) Ex experimento in Illustr. DUHAMEL *Art du Charbonnier* p. 6. recensito; quo hepar sulphuris, ex carbonibus cum alcali fixo fusis, fuerat ortum.

aqua orbatum) & hinc phlogiston vehere fit evidentissimum, quia postquam in auras fuerat actum, ne vestigium quidem aliquus acidi in cineribus remanet, nec idem, ablata modo aquæ portione, in alcali versum fuisse testantur vaporess suffocantes acerrimique, qui nequaquam à blando hoc elemento excitari potuere. Hos, cum iis qui ex sulphure aliisque corporibus, dum ascenduntur, aëris elaterem destruentibus oriuntur, & quorum exempla enarrantur ab HARTMANNO, eosdem & phlogisticos esse, quis est, qui à me dissentiat?

Experimentum Celeb. STAHLII sulphuris compositionem probans, probat quidem, aliquam inflammabilis principii portionem per calorem in auras abiisse, scilicet eam, quæ phlogistū ad mixtionem acidi vitriolici requisito, superflua erat, minime autem evincit, omne, quod antea toto sulphuri & acido vitriolico hoc constituenti inhæserat, nunc penitus pristinum suum dominium quoque reliquisse; hoc quidem eo minus, quo mediorior tantum ignis adhibeatur, & odore cessante statim intermittatur labor.

§. X.

Plurimi, (ut mihi videtur) in stabienda principii inflammabilis theoria eo peccavere, quod inflammabilitatem hujusque principiorum confuderint, ac si flamma & phlogiston elementare unum idemque foret. Nonne illa aliis simul, præter hocce, elementis adhuc constat? an est flamma principium inflammabile purum? nonne constituitur iisdem fere, quæ antea corpus constituere, principiis, nunc per frictionis vim, ex sua attractione, pristinoque nexu solutis? Potest itaque phlogiston magna copia alicui corpori inesse, sed & simul tanta inter reli-

qua ingredientia intercedere affinitas, attractiove, ut nequam admota flamma ignem capiant, & motum frictorem mo-
liantur, sed præsentem nexus potius conservare, quam disso-
lutionis nisui cedere malint.

§. XI.

Materiam flammantem vel *ignem* non ex puro principio in-
flammabili, sed & aliis elementis huic adhuc implicitis consta-
re, evidentissime patefit, ex diversicoloribus flammis, quibus
pyrobolarii tam suave nobis ob oculos ponere norunt spectacu-
lum, (idem elementum enim sese nunquam nisi sub eadem
forma reddet); testantur porro olea, in quorum flamma de-
mum aqua (ipsis antea essentialis) à reliquis ingredientibus
per frictionem separatur, atque in auras rapitur; sic & in un-
guinosis illuc quoque confert aér fixus sat copiosus, de quo
autem inferius sub Emollientium historia fusius locuturi sumus
& testatur iterum alcohol, cuius *flammam* sane *constituere iuvat*
aqua ipsi essentialis, evidentissime per experimentum Celeb.
BOERHAAVII jam mox citatum *e)* patefacta; qui in campana,
spiritui vini rectificatissimo accenso superimposita, illam per
ignem resolutam iterum guttatum, & quidem plane insipidam
depluere vidit; testatur denique fuligo & fumus, qui nil aliud,
nisi eadem ingredientia quæ antea in substantiis hærebant, lar-
gitur *f)*. Ut itaque flamma quædam possit exsurgere, nequa-
quam requiritur principium inflammabile *purum* (cum enim
hoc

e) Elem. Chem. P. I. p. 321. 322.

f) SPIELMANNI Instit. Chem. p. 199. 200.

hoc nobis nondum obtinuisse contigerit, nec in Natura usquam fere tale perficit g) ad hunc usque diem & insigni Vulcani beneficio fuissimus orbati sed & omnino cunctæ reliquæ partes, Elementaque, quæ cum ipso antea corporis mixtionem constituebant, hinc ex inflammabilitate non ad largam illius copiam b) inferas, sed potius à flammæ, ac particularum per eam solutarum effectu in nostrum corpus medicato. Sic si parca flamma multum penetret, irritet, vel altum sparcat odorem (quod resinis, aromatibus &c. contingit) indicio sit tibi multum olei ætherei hic fuisse solutum: & hisce præ unguinosis plus principii inflammabilis inesse supra jam monui. Sin iterum fortius stimulet fumus, intensiore quoque

g) MAQUER *Elem. de Chym. Théorique* p. 17.

h) Flamma enim nil aliud esse videtur, nisi locus, ubi eadem Elementa, quæ antea corpus constituebant, nec nimis sunt gravia, terrestria, vel hisce per affinitatem nimis adstricta, quin cum ceteris ab æris actione sollicitari, circumagi, & mechanice quasi sursum rapi possint, nunc e nexus suo solvuntur, promiscui circumvolitant, seque cum vehementissimo ac ardentissimo motu fricant, ut inde calor proignatur, partesque omnes ex sua attractione terantur, & in auras abeant, ubi iterum novos nexus efforment.

Nequaquam autem hic inficias ibit quispiam, quod, licet flamma non purum sit inflammabile principium, nihilominus hoc ad eandem constituendam sit apprime necessarium; ipsique essentiale. Quaecunque enim flamma est quidem dissolutio, non omnis autem corporum dissolutio, vicissimflammam progignit; hoc evidenterissime putredo evincit. Et quum per quemlibet partium e nexus suo secessum, haec non amplius à vi illorum, quæ sibi antea in mixtione vicinæ hærebant, elementorum teneantur, principium inflamma-

Q

tibi indicet acrimoniam, phlogistonve fuisse separatum. Sin autem hoc minus contingat, si tepide & mansuete per longum sat tempus illum feras, nec minimum tibi inde affluat incommodum; qualia fers sebum accensum, vel alia olea unguinosa emollientia &c. concludas, plurimum aëris vel aquæ tibi valde amicorum (quæque semper impune fers) in illis antea hæfisse & nuncce enodari. Quæ eadem Elementa & sat copiose in iisdem obtinere, inferius patebit.

Addamus pauca de *calore*. Hic videtur progigni à frictione, combustioque cum sua acrimonia, ex principio inflammabili nexui suo erepto. Hoc evidentissime mihi patefieri videtur, dum calor eademque frictio, quum paululum intenduntur, statim nostris humoribus acrimoniam inducunt, & (ut probabile fit) phlogiston nostri crassamenti magis evolvunt; quod idem deinde ad quandam majorem gradum liberatum, in vascula se ambeuntia fævit, quale ex omnibus reliquis substantiis enitens; eaque ut exitum fibi paret, corrodit. Hoc ex mor-

bile quoque ab omnibus prioribus vinculis nunc penitus liberum naturalis fui juris iterum evadit, hocque gaudens in auras erumpit; usque dum hic alia iterum elementa aggrediatur, quorum natura sibi ita affinis, ut cum illis denuo novum connubium intrare, novosque hinc nexus creare possit; sic fuligo oritur; hæc enim licet iisdem fere principiis constet, ac, unde obtenta fuit, planta, quod ejus analysis docet, hæc tamen in eadem non eundem penitus nemum tenent, quem antea in planta tenuere: fuligo enim est longe aliud, quam illa planta, compositum). Tales quoque in atmosphæra denuo iterum efformantur ab elementis per putredinem ex suo nemu solutis, inque auras directis. Cf. SPIELMANNI Instit. Chem. p.

349.

bis ulcerosis, ubi materia *inflammans* omnibus dotibus tanquam *aërem* se gerit, optime notum. i) Hinc subiecta phlegmatica, nec tantam phlogistū copiam in sanguinis sui mixtione foven-
ta, nec tot tantisve morbis inflammatoriis veris sunt obnoxia; hinc porro, quæ Elementum principio inflammabili opposi-
tum, *aërem* scilicet, maxime vehunt, effectus illi contrarios edunt, dum acrimoniam demulcendo temperant, calorem si-
stunt, attritum debilitant & evolutionem principii inflamma-
bilis cum sua vi infringunt, ut minus caustice agere cogatur.

Calorem porro nonnisi frictionis effectum esse, demonstrat idem sanguinis, electricorum experimentorum, fermentatio-
nis, multarumque chemicarum encheiresium, quibus excitan-
tur, calor, motusve insignes in nullam flammatam erumpentes;
sed inter Elementa contra se invicem fricta, ni adsit inflam-
mabile principium, nullum unquam excitari calorem, te-
stantur iterum cuncta: globuli enim e. gr. aquosi fluviorum,
per omne hiberni temporis punctum, tam contra se invicem,
quam diros incarcerantis littoris parietes teruntur, nec inde ali-
quis animadvertisit calor; saltem si quis unquam, profecto
non erit talis, qualis à tanta quotidiana frictione deberet ori-
ri: sic Elementa aërea per eandem tempestatem, cum conti-
nua frictione contra particulas, ex innumeris exhalationibus
ipsis advectas confluant, nec inde nobis ullum affluit caloris
beneficium: Principium inflammabile enim non est causa ca-
loris immediata, hæc enim est frictio, sed tantummodo me-
diata, sine qua, frictione licet præsente, nullus unquam ex-
citari poterit calor. Redeamus ad nostrum sulphur.

i) Cf. PLATNER Institut. Chirurg. §. 893.

§. XII.

Sed nonne principium inflammabile in sulphure, acido vitriolico accretum, rodentes hujus vires sat multum immis-
nuit? nonne haec contra meam thesin acrimoniam ab isto de-
rivantem? Nondum autem penitus innotuit, an praeter prin-
cipium inflammabile purum, nil ad acidi hujus in sulphur
conversionem accersatur? an flamma non nisi phlogiston
dimittit? *omnia omnino antea corpus constituentia elementa per*
ipsam e nexu suo solvuntur, quæque non nimis sunt gravia, capiun-
tur in auras, reliqua corporibus se iterum affigunt. Nonne & aci-
do ipsi aqua quoque eripitur, qua ablata, forma ipsius antea
fluida nunc in solidam transeat; omnino aliam longe muta-
tionem experiri sulphur, quam quæ à tantilla principii inflam-
mabilis additione exspectari potuisset, animadvertere dat tam
insignis inter hepar sulphuris & tartarum vitriolatum differentia,
& quis mihi spondet, quin eadem solida forma minus adoptio-
ni sulphuris à nostris humoribus faveat, qua & præpædiatur
spontanea mutuorum actio & tragedia ab oleo vitrioli tan-
quam *fluido magis ipsis insuabundo arceantur?* Hoc omnino
fieri probat sulphureus odor quem spargiunt illi, qui istud intus
assumere, testante BALDINGERO & GEOFFROY quique, omni-
no idem mixtione sua non alteratum, iterum cum materia tran-
spirabili per cutis poros trascendere declarat, ex quo etiam au-
rum vel argentum gestantium, nigro imbuīt colore: quod
omnino fieri nequiret, si ab humoribus nostris aut solveretur,
aut ejus mixtio nostro in corpore destrueretur, redolent enim
sulphur purum, non aliis particulis immixtum. Hinc, si
unquam phlogiston cauſicitatem imminuat, hoc non fieri

mihi videtur, nisi quia tanquam solidum, corpora minus à nostris humoribus solubilia reddit, quorum quippe interventu utplurimum modo sua dramata peragere queunt medicamina.

Nonne porro per eandem metamorphosin acidi vitriolici in sulphur mixtionum quoque relatio (à qua omnes effectus medicatos pendere probavi Cap. I. Sect. I.) alteratur, sulphurique aliam iterum relationem chemicam ad nostrum corpus acquirit? & inde non mitiores ^{k)}, sed longe diversas ab istis, quod acidum edit in nostrum corpus, vires exferit? novimus enim, ni absoluti aut generalis de corporum in se invicem actione prædicari posse, sed omnia pendere ab indeterminandis, quas interfere gerant, relationibus.

§. XIII.

Similitudinem *arsenici* cum acido vitriolico probat arsenicum fixum ^{l)}; cum autem in posteriori, principium inflammabile sat probabile reddidisse mihi videar, & idem in priori veneno *rodenti* obtainere debere, quoque extra omnem dubii aleam positum videtur.

^{k)} Idem sulphur nequaquam ita acido vitriolico esse mitius, quale quibusdam forsan possit videri, propria me observatio edocuit; ejus accensi enim vapor, post aliquod tempus, quam pulmonibus sumum ardorem incusserat, à vasis pulmonalibus resorptus, & ad ventriculum delatus, hunc ad summos & strictissimos civerat singultus.

^{l)} Ex experimentis Cel. DOSSIÉ Instituts of experim. Chymistry, 324. 343. seq. & Ill. MAQUER Mem. de l' Acad. Roy. des sciences, 1746. p. 223.

§. XIV.

Si meæ sententiæ adstiteris, facillime tibi explicatu dabitur, cur acida mineralia tantis viribus putredini resistant, sanguinemque inspissent. Dum enim aër tam fixus ^{m)} quam elasticus ⁿ⁾ inter primarias putredinis causas referendus, principium inflammabile autem quod in illis sat copiosum, & huic oppositum Elementum est, necessario & hujus vires maxime infringere, ejusque conatus ad eruptionem putridam, mutilare destruereque debet (ita enim in se agunt quæcunque contrariae vires) dum porro idem principium est solidum, & cum aliqua insuper terræ portione conjunctum, necessario & sanguinea massa per istud, majorem debet induere tenorem spissiorque evadere, quod nequaquam vegetabilibus acidis competit, non ita causticis, nec eandem phlogistę copiam multa saltem adhuc aqua dilutum ducentibus.

§. XV.

Si porro inflammabile principium in acidis mineralibus copiosum assumas, prono alveo tibi affluit ratio, cur hæc ex alcali, cui affunduntur, aërem fixum expellant; ambo enim sunt contraria Elementa, nequaquam se in eadem mixtione cum æqua

^{m)} Hoc probat tam nifus alcalinorum quam emollientium (eodem multum turgentium uti infra patebit) putrefactionem promovendi per Cell. PRINGLE & MACBRIDE experimenta sat clare ostensus. Quod externus autem non solus sit, qui eandem eliciat, cf. Mém. de l' Acad. de Chir. T. I. p. 38.

ⁿ⁾ BOYLE Experim, in Cont. exp. phys. mech. de aëre.

vi ferentia o); altero hinc accidente, alterum debet aufuge-
re, & quidem eo, ubi majoris juris fiat, magisve elasticum,
scilicet in reliquum aërem athmosphæricum.

§. XVI.

Nonne eadem ratione, qua hic acidum vitriolicum; in
combustione calcis vivæ, phlogiston intrans p), aërem fi-
xum expellit. Nonne hoc evidentissimum analogiæ inter af-
fectus testimonium & de iisdem causis testatur? quid eviden-
tius phlogiston acido isti inhærere, ipsiusque basin constituere
loquitur? nonnisi contraria enim sese in rerum Natura expel-
lere queunt.

Sic quoque vice versa in calcinatione metallorum, pronti
quale egreditur phlogiston; ita talis intrat iterum aër.

§. XVII.

Contrarias has amborum elementorum vires elice porro ex
illius, quando vel cum vaporibus acidi vitriolici vel sulphuris
accensi eructat q) vel ex carbonibus cum fumo ascendit r)
vel ex cavernis charoneis exhalat s) vel ex lacubus fontibus-

o) Quod probat C. II. S. II. §. V. Not. X. exhibut principium.

p) Hanc veritatem, de qua antea jam magni viri dubii hæserunt,
nunc omni fere evidencia physica collustrarunt experimenta Cl. AM-
BURGER *Diss. de Calce viva* supra cit.

q) Cf. SPIELMANNI Institut. Chem. p. 200. & 141.

r) Ut jam supra monui.

s) Cf. *Mém. de l'Acad. Roy. des Sciences* 1750. p. 77. *La LANDE Voy.*
en Italie T. VII. p. 16.

ve τ) vel sub fulminis specie necat u), in hujus elasticitatem fæviendi, eamque penitus destruendi, potestate. Easdem collige vicissim ex virtute frigoris, vel aëris, (frigidi principii) illos ad vitam iterum revocandi, qui per vapores illos phlogisticos carbonum &c. suffocati prosternebantur. α)

§ XVIII.

Si meæ sententiæ porro assentiaris, non multum aberis, ut eruas cur acida mineralia, metallis juncta, & majorem causticitatis gradum induere debeant . . Non enim sola imminutio aquæ, quæ antea ipsa diluerat, & nunc magis concentrata relinquit, ceu sola hujus causa admitti potest; acidum enim salis in mercurio sublimato corrosivo, sat multa aquæ copia adhuc dilutum, tamen magis venenatum se præbet quam in statu naturali. Ergo alia subdelitescere debet ratio, quam & ipse Magnus MAQUERUS γ) explicare hæsitavit, quæ autem ex mea theoria pronissimo alveo fluit; dum enim principium inflammabile ut acrimoniæ causam adoptas, & hinc in acidis mineralibus (sat acribus) idem magna quoque copia supponis; cum hoc ex principio inflammabili metallorum multum adhuc augera-

τ) *Lacus Amsancti* in Hirpinis, cuius mentionem faciunt VIRGILIUS Æn. L. VII. v. 563. CICERO de Divinat. C. 36. Plin. H. N. L. II. C. 93. & *Acqua Zolfa* ad Tivoli urbem, de qua jam VIRGIL. ibid. l. c. v. 864. atque GALENUS Meth. Med. L. VIII.

u) HALES Statique des végétaux Append. Exper. 3. & MUSSCHENBROECK Introd. in Phil. Natur. §. 2534.

α) Harmant, *Mémoire sur les moyens de rappeler à la vie les personnes suffoquées par la vapeur du charbon.*

γ) Dict. de Chymie L. I, p. 240.

augeatur, intensiusque fiat, & necessario ista magis acria rodentiae evadere debent. Si phlogiston saltem acrimonie principium haud esset, omnino hoc ex metallis illis accrescens illorum causticitatem non augeret, sed potius debilitaret.

§. XIX.

Phlogiston esse acrimonie principium collige porro ex fuliginis acrimonia, id purius omnino foventis, quam antea in substantia ipsa latuerat; principium inflammabile quippe per ignem sui juris factum, se denuo nonnisi cum particulis suae naturae quam maxime analogis, conjunxisse, plus quam verosimile videtur.

§. XX.

Nonne effectus vesicatoriorum istum rodentem, ab igne principioque ibi resoluto productum, tantopere æmulans, hujus rei adhuc clarum prædicant testimonium?

Nonne olea empyrevmatica caloris & principii inflammabilis in illis adauerti vi, acriora, idem loquuntur?

§. XXI.

Principium caloris seu phlogiston (§. XI.) rodens esse principium probat iterum scalptorum cupri erosio; qui observarunt, aquam fortè calore atmosphærico acui, multoque citius id perficere quam frigida tempestate.

§. XXII.

Effectus ignis, aliquam partem comburentis, sunt inflammantes, gangrænam sphacelumque induentes ^{z)}, quales isti

^{z)} Cf. v. SWIETEN L. I. p. 480.

ex quibuscumque acribus venenisque rodentibus; priores potum antiphlogisticum poscunt *a)* quales & posteriores, & quem in omni inflammatione affectibusque ab acri causa oriundis adhibemus. Hinc cum tam phlogiston, quam quæcumque acria eosdem in nos spargant effectus, perspicitur iterum acrimoniæ inter principium illudve elementum, tam respectu effectuum, quam curæ, exactissima analogia.

§. XXIII.

Vis porro irritans, rodens, destruensque est nostræ fabricæ quam maxime inimica, cur ergo & opposita esse debeat Emollientibus eandem demulcentibus, infringenteribus, nostrasque partes contra sustentantibus, nutrientibusve sane perspicitur!

§. XXIV.

Quicunque autem plura ex antedictis phænomenis, qualia sunt e. gr. vires multarum cavernosarum exhalationum, aliorumque vaporum suffocantes, vel acidularum saporem (multum certe ab illo, quem acida fossilia aquæ commixta solent excitare, recendentem) *b)* aliaque, aëri fixo potius quam principio inflammabili deberi, asserturus est, hinc totum meum systema sponte corruere sibi persuadebit, huncque in finem mihi fidissima, evidentissima & irrefutabilia à summis præclarissimisque viris facta experimenta allegabit, illi amico hoc modo ero responfurus: non agnosco nisi quatuor Elementa,

a) Id. §. 479.

b) SPIELM. & CORVINI Diff. de aëre factitio. p. 13.

cum autem fixus aër tot iis similes, quas de aëre atmosphärico in physicis prædicamus, nobis offerat dotes, ad huncce maxime præ aliis Elementis ratione suæ indolis accedere, concludimus. Aërem atmosphäricum autem multo magis suæ naturæ elementari propiorem esse, quam fixus, docet longe major ejusdem uniformitas, sub qua per totum vi-
tae nostræ tractum eundem persentiscimus; licet enim sat multis adhuc heterogeneis particulis, à telluris superficie ipsi quotidie advectis, sit inquinatus, hæ tantum in ejus aggregatione, nequaquam autem mixtione hærent, & quamvis insigni numero adsint, hic tamen respectu totius atmosphäralis massæ aërearumque particularum nequaquam est tantus, ut illum suo jure elementaribusque qualitatibus privare possit. Hinc cum aër nos ambiens elasticus, suique juris nullo modo similes cum aëre fixo in nosmet ipsos exferat effectus, nec nos suffocet &c. concludo cum aliis celeberrimis auctoribus, reliquas quæ huic, præter nostræ structuræ familiares, accreverunt, virtutes, per aliarum heterogenearum ipsi adhuc immixtarum particularum interventum ipsi accrevisse, effectus atmosphæræ potius, quam aëris fixi tanquam normam aëris elementaris semper mihi proponens. Ubiunque mihi itaque operationes ab hujus viribus recedentes offeruntur, ibi nequaquam has ab ejusdem indole, sed à sola heterogenearum particularum natura derivo.

Sed si similia phlogistæ tribuis phænomena, iis, quos de aëre fixo observamus, necessario illud huic accrevit; sed hæc cuncta contra tuam theoriam agunt, contraria secum ita perstare posse non admittentem? respondeo: si illi accreverit, hoc non nisi per alia intermedia elementa aëri affiniora fuisse factum. Quis enim mihi spondet, aquosas nullas particulas si-

R 2

mul cum aëre fixo abiisse? omnino si hic aliis adhuc Elementis inquinatus hæret, nec aqua debet excludi, & quidem eo minus, quo volatilior est, facilius qualicunque calore abscedit, & hinc optime principium inflammabile secum tanquam intermedio abripere potest; novimus enim, hancce requiri, ut illud in auras distrahi sese patiatur *c).* Quidnam in tuis processibus solum cogit erumpere aërem, nonne & eadem, quæ huncce expellunt, & alia expandere possunt? nonne & idem, quod summo cum jure, tanquam odoris principium Chemici statuunt, per eosdem quoque caloris motus agitatur, adque secessum sollicitatur? Expellitur sane, &, ni ipsius exitui reclusæ portæ quaquaversus obstante, statim purum in auras abscederet; sed cum undique tenetur incarcera-
tum, ut postea se cum quibuslibet adhuc e mixtione seceden-
tibus elementis, hinc & cum aëre misceri patiatur, stringi-
tur; quem autem statim iterum relinquit, quum e priori suo carcere erumpere ipsi datur, tuncque sui juris factum, eos-
dem edit effectus, ac e sulphure accenso avolans.

Quum itaque certo conspicimus, eadem peragi phæno-
mena, quæ alias à solo principio inflammabili absque fixo aëre producuntur, & illæ non aëri elementari, sed phlogistæ ipsi commixto deberi, summo jure inferimus.

§. XXV.

Hanc eandem meam sententiam de phlogistæ acrimoniæ prin-
cipio, probabit denique cuivis *sensus.* Observatur enim in
aromatibus, irritantibus, refinisque soliditas æque fere in-

c) SPIELM. Elem. Chem. p. 200.

tenſa ac in terreſtribus ſubſtantiiſis adſtrinquentibusve; ſed quæ alium prorsus genium, aliamque präfe fert indolem, quam iſta ultimorum. Hinc & aliud principium elementare hujus rei cauſam in iſtis ſuppoſui, quod ab illo, *rigidam* ſolidatetem progeneranti diſferret; & quum nullum aliud in rerum Natura ſolidum, terra excepta, präter phlogiſton occurrat elementum, ad hujus in iſtis uberam portionem concludi. — Sed nonne hic erat effectus compositus variæ combinationis terræ, reliquis principiis immixtae, nec alicui ſimplici Elemento debitus? Nequaquam. Per hanc miſcelam enim prior do-tes suas naturales perdere, hasque cum illis ultimorum confun-dere debuiffet (ex lege Cap. II. S. II. §. III.) ex qua deper-ditione profecto nunquam ſoliditas aliqua potuiffet produci, ſed alia compoſita viſ quæ ad naturam fluidorum, indolemque, quam hæc in ſubſtantiiſis gerunt, laxitatem ſcilicet vel aquo-fam vel aëream vergere debuiffet: cum autem æque intensa fuiffet, quam in iis animadvertebam, ſoliditas, ac iſta adſtrin-gentium, & neceſſario illius principium in eadem copia ad-eſſe debebat, ac in hiſce; nec effectus à copioſiori aqua vel aë-re componi potuerat, quorum quippe commixtio iſtorum ſoli-ditatetm inſigniter imminuiffet.

Suſpicatus ergo hic primus ſum acrimoniae principium, quod poſtea pedeſtentim magis magiſtro mihi copioſa ſupra ci-tata argumenta illuſtrarunt, & ad ſummam verofimilitudinem comprobarunt. Hinc iterum animadveretur, quam paribus paſſibus experientia & ſenſus ſe invicem comitentur!

Cum nequaquam mihi fuerit mens, peculiarem de hac re conſcribillare traſtationem, reliqua à celeberrimis Chemicis in hujus theſeos gratiam facta allegataque experimenta, licet

non mediocre meæ sententiæ affunderent lumen, mittere cogor & cum plura adhuc hujus rei in sequenti sectione fusiora occurrant, ad hancce properare liceat.

SECTIO II.

Demonstratio præcipuarum affinitatum.

§. I.

De Roborantibus.

Liceat pauca obiter de vi roborante monere. Cautus sis ne tibi persuadeas, ea, quæ hoc titulo comprehenduntur, genera tuto & in omnibus casibus cum fructu tanquam talia exhiberi; agunt enim relative qualia quæcunque alia medicamenta ^{d)}; nec hic effectus solis Adstringentibus, Amaris, Aromatibus & Resinis est proprius, sed & sæpe generibus, aliis in casibns emollientium vel debilitantium vicibus fungentibus. „ Debilitas enim non oritur solummodo à defectu bonorum humorum, vasorumque flaccida inertia, sed & sæpe ab illorum abundantia, sanguinisque densitate ac immeabilitate, vasorumque nimis rigidorum, contractorum & compressorum obstructione, hinc liquet quod ad cardiaca (vel roborantia) pertineant etiam ipsa alias vocata debilitantia, refrigeran-

^{d)} Quia interdum ab intemperie alia calida, alia frigida vires debilitantur; & hinc quod uni cardiacum, alteri fit venenum. VALCAREN. *Med. rat.* p. 219. Quasnam enim noxas intempestive usurpata ingerant, cf. RIEGER *Introd. in notit. rer. natural.* T. II. P. I. §12. & Bibl. Angl. T. II. p. 483.

tia, relaxantia, solventia, evacuantia, quatenus debilitatem corporis auferunt praesentem agentia contra causam illius „
RIEGER e)

Idem & afferit Celeberrimus HOFFMANNUS f) „ Neque existimandum, restorationem virium veram & constantem tantum esse in medicamentis, quae motum in spiritibus & partibus solidis concitant. Nam in pluribus morbis, præsertim febribus & convulsionibus magna quidem vis & potentia motrix cordi, arteriis & membranis nervosis inest, & tamen vires naturales sunt languidae & valde infirmæ. Proinde potius verum virium naturalium robur maxima ex parte dependet à congruis alimentis, esculentis & potulentis, in bonos succos & fanguinem conversis, ex quibus postea tenuissimum illud, quod in cerebro separatur fluidum, & per nervos ad musculos & tunicas musculofas delatum, potissimum corpori & ejus partibus vigorem ac firmitudinem largitur, denuo ingeneratur. Optimæ igitur materiæ nutrientia sunt optima analeptica, cuius generis sunt iuscula ex carnis gelatinosa, ossium & eorum medulla &c. „

Aurea sunt dicta circa sapientem roborantium delectum LINDESTOLPII g).

Sic & ubi motuum inertia à nimia fibrarum rigiditate aut soliditate derivanda, inepto consilio Adstringentia & Tonica vulgo sic dicta propinare, quæ cuncta omnino in pejus deriperent; tunc maxime prodeffent Emollientia, Lac, &c. —

e) loc. cit. p. 511.

f) Medicin. Ration. System. T. III. p. 523.

g) de Venenis 638.

136 PARS II. CAP. III. SECT. II. DEMONSTRATIO

En iterum, quomodo ad individuos casus pensitanda sint nostra remedia, & quam incongrue ad experientiam quadrent generaliores nostræ virtutum denominationes.

Eadem porro Adstringentia Tonicave sunt simul exsiccantia, rigefacientia *b*), nocentque marasmo, dum quantitatem solidorum in nostro corpore augent, fluidaque sibi opposita in quantum liceat, expellunt, vel potius horum ad priora rationem sat multum imminuunt; qualibus ergo morbis convenient, sat probe elucescit.

Sed quæritur, dum hæc ita se habent, dum Roborantia non nisi aut soliditatem nostrarum partium adaugendo, aut irritabilitatem intendendo nerveamque vim augendo agant *i*) per quænam principia hæc perficiantur, aut quibusnam Elementis in Mappa genera ab Auctoribus hoc titulo comprehensa, sint admovenda?

Prior sane effectus nonnisi terrestribus particulis debetur uti inferius patebit, posterior nonnisi principio isti æthereo, volatili, acri *stimulantique* nimirum inflammabili. Cum porro Aromata ac Resinæ simul soliditatem (alius quidem indolis quam Adstringentium) inducant, quæ videre est in cadaveribus conditis & elucescit ex Celeberr. SPIELMANNI dictis *k*), cur omni jure genera huc relata Adstringentia nimirum, Aroma, Aromata & Resinæ circulum in scala Naturæ ab uno principio solido ad alterum procedentem delineent, sane elucescit.

§. II.

h) LINN. Clav. Med. p. 31. not.

i) SPIELMANNI Mat. Med. p. 194.

k) Mat. Med. p. 305. 306.

§. II.

De Absorbentibus.

Afferenti, Absorbentia ex copiosiori terra constare, dubio procul meis partibus quivis adstabat; hinc cur in Mappa, Terræ proxime sint admovenda, patefit. Hæc eadem autem pluri fixo aëre constare per nuperrima experimenta in vulgus est notum; cur itaque & aëreæ plagæ propiora fiant, quivis sane perspiciet. Hæc porro Absorbentia alcalinæ naturæ & animali fabricæ analoga, confinia iterum habenda e longinquo Nutrientibus, genium animalem alcalinumque præ se ferentibus, uti carnibus animalium; hæ iterum gelatinæ interventu, quam vehunt, conjungunt Nutrientia mucilaginosa, Grana cerealia, Legumina, Olera, quæ vicissim Emollientium dotes aliquantisper participant.

Cretam omni jure præ reliquis terræ admotam esse, nemo, uti reor, inficias iturus.

Osteocollam III. SPIELMANNUS tam sub adstringentium ¹⁾, quam absorbentium historia recenset; cur ergo inter ambo militet, sane perspicitur. A reliquis Absorbentibus tam respectu analyseos, quam præcipue habitus chemici differt, ex quo omnino magis præ hisce adstringentia versus spectat.

§. III.

De Adstringentibus.

Adstringentium virtutem à multa, ex qua componuntur, terra pendere ab omnibus fere Materiæ Medicæ auctoribus proclama-

¹⁾ ibid. p. 439.

tur; fidem hinc thesi conciliat, quod nullum aliud præ adstringenti genere plus terrestrium substantiarum in sua familia complectatur, e. gr. Tutia, Zinci flores, Cerussa, Nihilum; vel nullum porro occurrat, quod plura metalla contineat (quibus insignem terræ molem inesse, afferit Calcinatio) Plumbum scil. Stannum, Zincum, Lithargyrum, Calaminaris lapis &c. hisce alii Auctores ex præjudicio potius & auctoritate, quam sana rerum pensatione addiderunt Aurum, Argentum, lapidum pretiosorum fragmenta, & quæ reliqua est *terrestrium* à nostris humoribus insolubilium turma, quam sagacissime refutavit Celeberrimus SPIELMANNUS sub Roborantium specificorum titulo. Idem principium terrestre testantur fortiora Adstringentia seu Stiptica, quæ suam vim pluri-
mæ *terræ*, alicui aëris portioni junctæ videntur debere. Si enim Resolventia sua præstant, ex copiosiori aqua, cum pau-
ciori principio inflammabili commixta, uti §. XI. dicetur, ne-
cessario effectum contrarium & oppositis his ambobus Ele-
mentis mox supra citatis, tribuendum esse perspicitur. Glu-
tinis porro (corporis nostri fibras jungentis) inspissatio, vel
ejus rationis imminutio ^{m)} nil aliud esse potest, nisi vel
aquæ ex eodem, ope copiosæ Adstringentium terræ expulsio
(contraria enim se invicem in eadem proportione non ferunt)
vel hujus in illo adauictio (quæ ambæ ad idem fane redeunt). Non itaque mirum, cur illa stiptica sanguinem incrassent, fi-
bras nostras consolident harumque molecularum attractionem
multo arctiorem reddant. Nam cellulis particulas terre-
stres solidas interponunt, quæ rigiditatem abusu inducunt

^{m)} Id. ibid. p. 194.

n) senectutis stadium accelerant, novumque illis addunt robur principii adauctione, cui non solum nostrum, sed & cuncta per reliquum orbem diffusa corpora firmam suam duramque compagem utique debent, & quæ ab aquæ intermixtu ubicunque præpeditur. Hinc & in morbis à laxitate fibrarum aquosa o) pendentibus præcipuam ferunt opem, dum hujus vim per oppositum Elementum infringunt, debitamque glutini iterum consistentiam inducunt. Cutis porro inde densior redditur, pellesve animalium per illa in corium exsiccantur p); effectus fluido alicui principio nunquam tribuendi. Vascula inde coarctantur, dum solidæ partes valentiores sint repellendis fluidis quam ipsæ fluidæ, densior simul priorum compages evadit firmiorque, qua cuicunque extensiō intensius resistere hincque repellere, defendere & discutere queant q).

Sed si adstringens virtus à copiosa substantiis inhærenti terra dependet, ea, quæ largiorem terram vehunt, fortius adstringent, quam quæ rariorem; cur igitur, ajes, *subadstringentia* ipſi arctius admovisti quam fortiora? Omnino res ita fese haberet, ni ad solutionem cujusque medicamenti à nostris humoribus simul respicere deberemus: nullum enim in nosmetipſos effectus exseret, nisi per hocce vehiculum introductum, reliqua cuncta inertia iterum abscedant; solventur autem magis ab hisce evidentioresque nobis tradent effe-

n) id. p. 413.

o) Læsecke *Abhandlung der auserlesensten Arzney-Mittel.* Berlin

1755.

p) SPIELM. l. c.

q) ibid.

ctus, quæ fluidis magis analogæ, copiosioremque in sua mixtione fovent aquam, quam quæ paucioræ; hoc idem autem subadstringentibus contingit, quæ rarioribus particulis aquam, cui infundantur, imprægnant, eamque minus sapidam ratione gustus, minusque efficacem ratione medicati effectus, quam fortiora reddunt; quod videre est in plantis plane innocuis, Adianti, Scabiosæ, Plantaginis, Galegæ, Hederæ terrestris &c.

Cum Adstringentia plurima præcipue scateant terra, hujusque physica dos sit rigiditas, cur tam hancce cum nostro corpore communicent, quam rigida soliditas (quam tanquam terræ characterem cardinalem statueram C. II. S. III.) præ reliquis generibus in illis dominans jam sensui chemico se exhibere debeat, non tenax eris, ut colligas.

Sed probe notes, nequaquam simplicissimo solique isti principio deberi nostram vim, sic enim quæcunque terrestres substantiæ nosmetipſos adstringerent) sed compositam esse vim ex plurima terra, paulo largiori principii inflammabilis ^{r)} quam aëris portione, parcissimaque aqua, quæ singula, in ratione inversa distantiarum à quoque puncto cardinali se habent.

Ferrum tanquam adstringens, simul acidum primarum viarum absorbet ^{s)}, hinc affinitatem propiorem Absorbentia inter

^{r)} GAUBII Institut. Pathol. p. 144. *Nascitur acerbum ex acido in multam terram defixo.* Cum autem aciditatis principium phlogisticum esse statuam, cur hoc genus aliquam hujus Elementi portionem debeat fovere perspicitur. Quod idem probant efficacius metalla.

^{s)} SPIELM. Mat. Med. p. 405,

nostrumque genus, eidem principio scil. pluri terræ debitam agnoscis. Nonne Lithargyrii vino austero aciditatem demendi vis, alicui principio absorbenti tribuenda? Plumbi calces ad genium alcalinum adeo accedunt, ut cum oleis in formam emplasticam redactæ, multis saponum alcalinorum dotibus condonentur ^{t)}, & hinc iterum aliquid talis suspicari jubent.

Alumen cum sit *sal* adstringens, omni jure inter hæc & sapore salino imbuta, incidentia refertur.

Terra Japonica & *fraxini semen* cum simul aliquam amarietiam vehant & amarities ex terra cum aliqua phlogistæ portione oriatur (uti §. seq. patebit), cur & huic Elemento aliquantulum hæc medicamina viciniora sint, perspicitur.

In *Myrti* foliis præponderat adstrictio, levissimo licet aliquo aromatico principio maritata; ob priorem Adstringentibus adjicitur, ob posterius simul præ suis commilitonibus phlogisticam plagam versus spectat.

Filicis radix diu masticanti odoris gravis est, levissima aliqua acrimoniæ calorisque specie sat diu durantium afficit palatum ^{u)}, aliquantis per stimulat purgative, cui virtuti junxit anthelminticam teste HOFFMANNO, hinc unde ipsi cum amaris remota aliqua necessitudo oboriatur, in promptu est colligere.

^{r)} Ex observatione Cel. GEOFFROY, cf. MAQUER Dicit. de Chymie T. II. p. 271. & T. I. p. 582.

^{u)} RUTTY Mat. Med. antiqu. & nova p. 201.

De Amaris.

Ad subadstringentia proxime accedunt Amara, medicatos propter effectus, ad Adstringentium quidem referendos, sed cum majori stimulo conjunctos; per hos enim non modo vascula contrahunt, sed & his de stimulo quodam impertiuntur, ex quo validius in contenta agunt, haec subigunt, ipsorum attractionem conquatiunt, atque divellunt, & hinc in viscerum abdominalium obstructionibus egregie conducunt; ob eosdem & Tonica appellari merentur, dum non modo viscerum robur ex causa laxitatem inducente deperditum restituunt terrestres particulas adaugendo, sed & eorum languori egregie subveniunt, leniter ista stimulando. Major ipsis præ Adstringentibus acrimonia inest, quam tam ipsorum jam commonstrat sapor, quam longe plurimorum amarorum Nucum Vomicarum e gr. Flor. Anagall. Centaur. min. herbarum Tanaceti, Fumariae &c. vires, quæ majori dosi exhibita vomitus carent maximeque primarum viarum systema offendunt. Ob eandem autem acrimonię, summo jure præ Adstringentibus, sursum versus principium acre in Mappa vertuntur, & hinc Aromatibus magis fese appropinquant, quod satius probant Aristolochia, Absinthium, reliquorumque Amarorum caterva, aromatico adhuc sat evidenti principio condonata.

Principium inflammabile in amaris multo copiosius quam in Adstringentibus latere elucescit porro evidentissime ex eo, quod idem per tostionem Coffeæ fabis (alias leniter austoris) ^{x)} accedens, amarum saporem inducat, quæ cædem, illo

^{x)} SPIELM. l. c. p. 116. 2

plus æquo ex nimia tostione aducto, in nimiam quoque acrimoniam degenerant. Hoc iterum Mappali meæ theoriarum quam maxime respondeat, acria corpora ab amaris non nisi solo principii inflammabilis augmento distinguentur.

Squilla amaram incidentemque se gestat, cur ergo ambobus hisce generibus contermina, palam fit. Virtus, qua sæpe eme fin ciet purgative, est particularis, & à stimulo, quo tanquam mox dictis qualitatibus prædita solida afficit, provenire videtur; inter amara multa dantur simile agentia quæ mox memoravi, ex que Incidentibus nota est Nicotiana ejusque fumus.

Absinthii, tam Pontici quam vulgaris, *Lupuli*, *Aurantiorum amarorum*, *Aristolochiae longæ*, *rotundæ* &c. vires, quas cum amaris & quidem in diverso gradu conjungunt, aromaticæ in vulgus sunt notæ. Hæ eadem in *Berberis Radice* sat evidentes se virtute, qua pollet, purgante (teste CLUSIO) gerunt.

Simaroubae corticem omni jure versus Emetica vergere, probat, quod in Dysenteriis Ipecacuanhæ sæpius substitutatur, ejusque infusum cum eadem vomitus cieat γ).

Ex altero latere novimus *Fraxini* & *Quassiae ligna* simul adstringentium vicibus fungi, hinc & terrestri plaga hujus generis matrici propiora conspiciuntur.

Cyani flores præ reliquis amaris multo minori afficiunt stimulo; quamobrem oculis roborandis quoque magis convenire videntur, & merito à principio acri remotiores.

Costus amarus intensius acris ac reliqua amara magis quoque ad acrimoniæ principium vergit.

γ) HERMANNI Cynos. Mat. Med. T. III. Ed. Bœcl. p. 96. 98.

Herba *Eupatorii* & *Tamarisci* caulinis si resolvunt ^{a)}, non resolvunt per vim saponaceam, Radicibus Chinæ, Saponariæ, Victoriae, Sarsaparillæ &c. propriam, sed per amarum suum principium, largiori vero præ reliquis aquæ maritatum, quæ facilius humores penetrare, adque resolutionem proniores reddere queat.

Nucum Vomicarum inter tot secura alia amara loco nequaquam commovearis; virtus venenata enim, qua se contra tot animalia gerunt, nullo modo eadem observatur contra humanam fabricam, (à priorum ratione mixtionis longe differentem), quarum contra utilitatem multis in casibus observationibus probat Celeb. GEOFFROY ^{a)}; & respectu nostrum nequaquam à reliquis commilitonibus differre monet idem, dum non agunt nisi quodam irritationis motu, quem fibris nerveis ventriculi impertinentur: qui quidem motus, cum oscillatorium & aquabilem fibrarum nervearum motum perturbet, inordinatos motus non solum bac in parte, sed cum omnibus nervosis membranis communicat, sed Amara fere omnia hac virtute succutiendi nervos dominantur. ut observare licet in animalibus plerisque, quibus amara omnia prouersus noxia sunt & infesta ^{b)}.

§. V.

De Purgantibus & quid in specificis.

Purgantium tria genera nequaquam vicinitate se tangunt, nec virtutis sat sibi affinis esse constat experientia. Specifica

enim

^{a)} SPIELM. Mat. Med. 3. p. 151.

^{a)} Mat. Med. T. H. p. 455.

^{b)} Id. ibid. 3. p. 152.

enim & Resinosa præcipue agunt stimulando, hinc, cur tam stimulantibus Aromatibus vicina, non miremur. Eccoprotica contra nostra intestina non nisi levissimo stimulo afficiunt multoque copiosius principium relaxans vehunt, demulcens, saponaceum, emolliensve, hinc cur & huic ultimo generi proprius admota conspiciantur, sane elucefecit.

Specifica ab Ill. SPIELMANNO dicta, vel in quibus dominat amarities, & eadem hac dote à reliquis Resinosis discrepant, vel quia minus præ iisdem stimulant calefaciuntque. Non nefando igitur consilio inter Amara, Aromataque referuntur; tam quia cum majori vi, quam ipsa Amara in intestina agunt, eoque validius humores alliciunt, ut hi eadem onerantes, dein fortius per motum peristalticum expellantur; quam quia principium aliquod volatile stimulansque gestant, jam naribus discernendum, & Aromatibus eadem appropinquans. Cur inter ambo ergo debitus ipsis assignetur locus item conceptui fit clarum.

Rhababarum, Aloen, Colocynthidis pulpam & Perficorum flores, suam cum amaris necessitudinem jam solo indicant sapore.

Cyclaminis radix cum purganti virtute & reliquis aliquantisper cedat, sat multum patefacit, quanto jure & ad horum limina magis collocetur.

Carthami semen nec ex priori habitus Chemicus reliquis hujus regionis civibus assimilat, nec ex posteriori sapor. Lemem enim modo vehit amaritatem nauseosam, cum aliqua acrimoniam maritatam, medullamque foveat aliquantisper mucilaginofam saponaceamque, hinc quo habitus ducebat, in Resolyentium scil. viciniam id collocare nullus dubitavi.

T

In *Lilio Convallio* aromatico licet principio prædicto, amarities tamen purgansve virtus præponderat, habitusque iterum noster multo majorem omnino præ reliquis aromatibus discernere dat soliditatem terrestrem.

§. VI.

De Purgantibus Incidentibus.

Purgantia Incidentia cur inter ambo hæc genera merito collocentur jam indicat nomen, cur ultimo huic generi propius admota, sapor.

De Aromatibus.

Arctiora autem phlogistæ admoventur Aromata, tum ob saporem acriorem, linguam vellicantem, pungentem, sape que urentem, tum quia eorum non modo abusus, sed & solus frequentior usus, omnibus nostris humoribus peculiarem inducit acritatem ¹⁾, tum denique ob eorundem solida stimulandi, fluidaque calefaciendi virtutem, foli principio acri propriam.

Eadem suam vim huic maxime debere, (quod aliis quidem adhuc Elementis immixtum, sed tamen hæc inter longe præponderet) conspicimus porro ex ipsorum penetrantia, nulli alii, nisi phlogistæ competenti; quæ luculentissime ex metalla emolliendi, summaque iphius, quando per ignem agitatum denudatur, vix non omnia naturalia corpora destruendi facultate elucescit.

¹⁾ SPIELM. p. 235.

Æthereis oleis (& hinc quoque Aromatibus) multum inesse principii inflammabilis dignoscitur iterum ex urenti acrimonia (effectu huic puro proprio); ex ipsorum volatilitate omnibus fere corporibus, in quibus phlogiston aqua imbutum hæret u) communi. Nam & compertum habemus, alcali volatile idem vehere principium α); exque denique promptiori nisu, quo præ oleis emollientibus ab igne empyrevma insugunt γ) certiori amborum affinitatis testimoniio.

Cum porro putredinis causa sit aër, huic autem ex Naturæ lege oppositum sit inflammabile principium, cur hoc illius vim penitus mutilet, activitatem tollat, sive Aromata Resinasque antiseptica reddat, non videtur mihi in dubium vocandum; sic & vicissim aër ingestus causticitatis vim imminuit, quod probat Dissertatio Cel. SPIELMANNI & CORVINI de Aëre factio Argent. 1776. Exp. XI. Nonne & eadem amborum contrarietas se luculentius adhuc ex vi carminativa, qua gaudent Aromata, patefacit?

Similem jam supra (Sect. I. §. XVII.) memoratis carbonum, sulphuris, &c. vaporibus ediderunt effectum, qui ex magna aromatum turma subito eructantes, tres nauticos, MERKLINO teste α) mox suffocarunt; ex quo iterum animad-

u) Quæ omnino ad ipsum in auras auferendum, est necessaria, per se quippe nequaquam est elasticum: quod probat STAHL CCC. Observat. p. 33. & Ill. POTT Lithogeognos. 68.

α) SPIELMANNI Instit. Chem. p. 158. quod & qualia Aromata, penetrantia irritantique virtute præpollet. Inferamus ergo ex simili effectu ad idem principium!

γ) Id. ibid. p. 212.

α) In suo itinere ad Indias Orientales.

vertas velim, aromaticos inter phlogisticosque vapores analogiam.

Cum præterea nostrorum medicamentorum actio insigniter per calorem acuat^aur, non amplius dubium potest superesse, quin principium caloris ea maxima ex parte constitue rejuvet.

Eadem sanguinem (per oleum æthereum & principium inflammabile in hoc contentū) ad diathesin phlogistica^m disponunt, quo fit, ut eorum abusus febres acutas b) præcipueque inflammatorias progignat. Indicantur porro, ubique spissitudo frigida obtinet; frigidum principium autem esse aërem, jam ab antiquissimis Medicis fuit assertum, quomodo ergo iterum hæc duo Elementa, principium inflammabile scilicet & aër in contrarias partes agant, elucescit.

Quum Aromata multum resinosi largiantur, quo pacto ipsis cum Resinis, Purgantibusve Resinosis affinitas nascatur, primum est colligere.*

Citri Corticem crude ad aliquas drachmas manducatum, valide purgare, ex me ipso expertus sum.

a) GAUB Instit. Pathol. p. 144.

b) SPIELM. Materia Medica p. 235.

* NB. Quænam Amaris, Aromatibus, Adstringentibus &c. præ his primariis, propriæ adhuc sint virtutes speciales; scil. adstringentes, quæ sœpe Amaris competunt, vel emeticæ, quas sœpe hæc ultima ex naufea sua edunt, vel purgantes, multoties ab Aromatibus observatæ &c; cum à cunctis fere Materiæ Medicæ scriptoribus ex Observatoribus allegentur, ne à me, qui ad pharmacorum potius mixtiones, quam ipsorum specialiores effectus respexi, in hac Mappâ fusi^ms delineatas, exspectes.

Sabine folia principio multum resinoso uberare, non solum sapor demonstrat, sed & experientia testans, esse hoc præp̄mis, in quo lateat vis totius herbæ stimulans, resolvens ac calefaciens c); cur ergo tanto nexu resinosis purgantibus adh̄reat, conceptui fit clarum.

G. Myrræ aromaticas potius inesse qualitates quam amaras, docet ejus antiseptica virtus tot observationibus suffulta, odor ejusdem & sapor, insignis calefaciendi vis, in resinoso copiosiori sita (ex quo Purgantibus irritantibus aliquantis per quoque cognatum) & admodum denique resolventes qualitates. Quin ergo locus, à sensu Chemicō ipsi indigitatus, experientiæ dictis respondeat, in dubium nemo amplius vocabit.

Quod *Nigelle* & *Dauci* semina cum aromaticā sua vi quoque incident, cf. SPIELMANNUM d).

Calamus Aromaticus tam *Amarorum* quam *Aromatum* vires participans, & ambobus hisce generibus interpositum. Ob has easdem conjunctas, Incidentium e) quoque vicibus poterit fungi.

Cortices Peruvianus & *Cascarille* omnibus dotibus aromatici sunt, & hinc sagacissime ab Ill. SPIELMANNO huc fuere relati; sed probe hic iterum notandum, quod à reliquis congeneribus sat different; sunt enim præ illis magis tonici, consolidantes, minus stimulantes, rarius oleum æthereum foven tes, intensiusque amari. Provenire videntur hæc cuncta à copiosiori, quam sensus Chemicus in ipsis distinguit; terra; hinc

c) Löseke Arzney - Mittel p. 407.

d) Materia Medica p. §40, & §33.

e) Id. p. §32.

respectu reliquorum Aromatum magis, respectu Amarorum autem & Adstringentium stricte dictorum multo minus adstringunt; ob eandem quoque rationem præ reliquis commilitonibus summo jure terrestrem plagam versus remota conspicuntur.

Ni sensus ille Chemicus mihi subvenisset, & medicamina modo ex viribus de ipsis vulgo prædicatis distribuissem, eos omnino promptissimo consilio statim Aromata inter atque Amara in Calami aromatici circiter viciniam collocassem; sed quantum hic à naturali suo jure abfuissent! hic enim locus multo præ ceteris odoratis, minorem ipsis tribuisset aromatcam vim, quam qua revera gaudent f), multoque majorem ex altera parte amaram; quam ab illa forti, intensa, fibrasque solidanti, amarorum proprie dictorum virtute, toto fere cœlo distare, quisque in semet ipso poterit experiri.

Serpentariae Virginianæ, Valerianæ, Macis, Moschatae nucis, Meliloti & Camemeli, vires quascum aromaticæ adhuc conjungunt, sponentes per omnes sunt notæ, sed inter singula tamen iterum intercedit differentia. Serpentaria enim multo maiores alexipharmacos edit effectus quam Valeriana, magisque stimulat, unde ejus in morbis exanthematicis vires perdere videntur. Valeriana, ob tenuem volatile quod vehit, nervis magis est amica, hos roborat, & eodem respectu proprius ad Vanigliam accedit; quod omnino a fortiori stimulo nequaquam exspectandum foret, à quo quippe fluidi nervi secretio potius

f) Æque enim intensa est hæc in illis ac in WINTERANO Cortice, Juniperi ligno, Dictamno albo, Zedoaria &c. quod docet insignis vis antiseptica.

turbaretur. Macis & Moschata nux præ illis sopiunt magis, quod indicat expressum hujus oleum, temporibus illitum, jam soporem inducens ^{g)}. Prius præ posteriori est acrius, minoremque præ hocce foveat olei copiam; hinc & tam ob priorem qualitatem satius phlogistæ admovetur, quam ob posterioris defectum magis ab aqua removetur. Meliloti herba ex odore suo nauseoso jam propius versus sipientia ipsa referri, magisque à gratis odoratis meretur removeri, resolventique generi simul præ prioribus est amica per vires, quas exseruit discutientes digerentesque: quo ergo jure hunc occupet locum, sane perspicitur.

Ultimis his autem, resolventi qualitate præstant Chamæmeli flores, tam volatili stimulanti, quam & sipienti principio muniti; ex quo priorum quidem peragunt operationes, sed cum majori resolutione conjunctas, egregios enim se præstiterunt hypochondriacis, inflammatione varia affectis. &c. ^{b)} Cumque denique ex Chemico sensu major in ipsis laxitas percipiatur, cur omnibus titulis Resolventibus magis accedant, intelligitur.

§. VIII.

De Irritantibus.

Cum stimulantibus illis Aromatibus arctissimum affinitatis vinculum alunt Irritantia, rubefacientia, inflammantia; quæ à prioribus vix nisi vehementiori acrimonie gradu differunt, ex cuius vi, præcipue largiori dosi exhibita, tantas in

^{g)} SPIELM. I. c. p. 283.

^{b)} RUTTY Materia Medica, p. 318.

152 PARS II. CAP. III. SECT. II. DEMONSTRATIO

solidis excitant turbas, ut & horum attractio penitus solvatur, illaque sic rodentia causticaque evadant. Omnes ceteroquin Aromatum, sed intensiori gradu edunt effectus, & hinc propiora plagæ, acrimoniæ principio deditæ, admittuntur.

Cum *Piper Aromatica* simul sat insigni dote emineat, cur hoc genus quoque sibi annexat, palam fit.

Armoraciae Radix præ reliquis consanguineis magis resolvit, hinc & plus aquæ gestare, in Mappa designatur.

Semen *Sinapeos* tam habitu, quam dotibus à ceteris aliquantisper recedit.

Si *Erucae* semen mitioribus præ hocce gaudet virtutibus, à pluribus terræ particulis, minus tam à nostra saliva quam reliquis humoribus solubilibus, quasque habitus Chemicus in ipsis discernit; rarioribusque simul phlogisticis pendere videtur.

Ob eandem rationem terrestrem plagam versus, magis quoque habitat *Ari* Radix præ hoc ultimo minus stimulans.

§. IX.

De Emeticis.

Inter Aromata, Irritantia atque Tonica Amara (levissimo stimulo respectu priorum ventriculum affientia), optimum mihi locum tenere videntur *Emetica*, quæ cum prioribus convenienti stimulo, quo primas vias afficiunt, cum posterioribus tam amaro principio in plurimis hujus classis reperiundo quam quoniam (uti jam dictum) plurima Amara paulo largiori dosi ingesta, vel dosi confusa *delicatulis* porrecta ob naufragium aliquod leviter adstringens, simulque nervos vellicans, hos

hos statim ad vomitus cident. Videntur ergo Vomitoria stricte sic dicta cum Amarorum dotibus aliquid commune, multo intensiori autem acrimonia acutum, gerere; hanc & ob causam in Mappa acrem plagam versus propiora ascenderunt.

§. X.

De Resinis.

Ex altera parte Aromatibus propinquæ conspiciuntur *Resinæ*, quæ ipsis sat multis nominibus cognatae. Sunt enim cum prioribus evidenti principio odorato præditæ, in ambobus ab alcoholè solubili; nervis sunt amicæ, qualia ista, & in sufficiët grato hos afficiunt sensu. In aqua non solvuntur; quod obtainere observamus & in aliis corporibus phlogistæ multo ditatis. Cur autem, hujus regionis licet incolæ, nostro corpori ingestæ, non evidentes tamen rodentes, inflammantesque edant effectus, ab eo mihi pendere videtur, quod isti, non nisi saponi junctæ, applicentur, qui idem ob oleosum vel mucilaginosum principium, istarum vires sat mitigare debet. Quando enim puræ ingeruntur, revera causticas esse testatur Illustris BOERHAAVIUS i) *Est quoque acris, caustica, inflammans violentia in his resinis manifesta plerumque; unde si linguae adhærescant, vel faucibus, loca illa molestissima acrimonia torquent; in ventriculo intestinisque idem sæpe præstant, bincque topice inflammando irritandoque damnum pariunt.* Sed cum sint solidæ, inflammabiles, nec quando accenduntur, cineres relinquant, qualia reliqua inflammabilia multa terra gradata, nec hæc ultima per se sit in-

i) Elem. Chem. T. II, p. 242.

154 PARS II. CAP. III. SECT. II. DEMONSTRATIO

flammabilis, sequitur, quod illorum *soliditas* alii Elemento debatur; cum vero nullum amplius, nisi phlogiston superfit, & hoc ex Chemia uberrime in iis evincatur, idem ipsorum soliditatem causari concludimus; sed quum corpora, phlogistæ maxime constituta, iterum acria deprehendamus, idem hujus qualitatis esse principium, inferre docet sana ratio.

Cum Aromatibus porro putredini resistunt, & intus assumentæ sat valide stimulant, ex quo argumento quoque plurimi Materiæ Medicæ scriptores, principium commovens stimulansve in resinoso delitescere, statuerunt. Cur ergo affinitas inter ambo tot titulis suffulta in dubium sit adhuc vocanda, nullatenus perspicio.

Cur nostra gens præ Aromatibus aqueam plagam magis attingat, in promptu est colligere: ex acido enim minerali, oleoque æthereo resinas enasci, sat evidenter Chemici probant; ambobus autem inesse aquam ex eorum fluiditate patescit, cur ergo in resinis ipsis non lateat idem Elementum, non dantur mihi documenta.

Sulphur porro quoad maximam partem ex acido vitriolico constat, sed in hoc multam aquam natare, demonstrat Chemia, cur ergo & isti hanc denegaremus, quum nullum protest argumentum omnem iterum exinde ablatam fuisse arguens? ^{a)} Sed quum idem accensum multo acriorem spargat fumum, quam reliquæ inflammatae resinæ, nec tantam cum Aromatibus ratione olei ætherei foveat affinitatem, ob quam

^{a)} Eandem contra revera illi inesse testatur BOERHAAVE Elem. Chem.
T. I. p. 588.

ab ambobus remotum, phlogistoque proprius admotum sit, ratio perspicitur.

Succinum præ reliquis magis calidum, stimulansque, cur phlogiston versus, altius spectet, non indiget, ut innuam.

G. Guajacum non pura est resina, sed & aliquantulum gummosum largitur *l).* Cum vero hocce principiū multa aqua scateat, debebit sane, & illud optimo jure, præ reliquis Resinis, aquæ plagæ quoque esse vicinus.

De multo copiosioribus particulis autem aquæ impertiuntur, satiusque ab hacce solvuntur *Pini strobili*; unde enim infusioni aquosæ accresceret virtus medicata *m)*? cur ergo & hi præ illo, puncto Aquæ cardinali propiores sint, probatur.

§. XI.

De Purgantibus resinosis seu irritantibus.

Inter Resinas atque Aromata, Resolventia versus summo cum jure collocari videntur *Purgantia resinosa*. Hæc à specificis, multo majori vi irritante, (ex qua in Mappa & magis Aromata principiumque acre versus removentur) multoque minori amaritie recedunt; prior est tanta, ut gravissimæ saepe lethales noxæ ab imprudenti ipsorum usu fuerint observatae; ut merito reliqua inter *Purgantia* censeantur validissima. Viciniora sunt Aromatibus præ specificis ex hac eadem virtute, cumque Resinis affinitatem alere, indicat jam nomen & analysis chemica. His ultimis omnino proprius essent ad-

l) Læfke p. 183.

m) SPIELM. Mat. Med. p. 322.

156 PARS II. CAP. III. SECT. II. DEMONSTRATIO

movenda, si puriores in ipsis animadverterentur resinosæ particulæ, vel si eæ, quæ deprehenduntur, eadem cum Resinis illis puris ederent effecta; sed cum tam tot terrestribus aliisque adhuc particulis sint onustæ, quam nulla observatio familia purarum resinarum cum resina Jalappæ, Scammoneo &c. doceat phænomena, cur à prioribus magis amoveantur, terrestrique plagæ admoveantur, in promptu est colligere.

Scammoneo præ ceteris congeneribus maxime commoventi stimulantique & phlogistæ propior omnino debetur locus.

Sennæ folliculi & *folia* mitiora, simulque *Acaciarum flores* leniter modo ex principio, mixtionis subquadruplo resinoso, salino atque amaro *n*) (ex quo & his generibus propiores aliquantis per fiunt) alvum ducentes, & subiectis tenuioribus, validi stimuli impatientibus *o*), commendandi ex omnibus dotibus phlogistæ alieniora mitique aquæ propiora statui debent.

§. XII.

De Sopientibus.

Sopientia ex omnibus observatis tanquam acria se gestant. Irritant enim (per principium quoddam volatile, ex quo aliquantis per cum reliquis odoratis Aromatibus Resinisque cohaerent) nerveam medullam, quo sit, ut ea, quæ majori copia hocce principio scatent, omnes sensorii communis functiones lœdant turbentve Narcoticaque *p*) salutentur: irritant por-

n) SPIELM. Materia Medica p. 414.

o) HOFFMANN de præst. Med. Domest.

p) Sopientia Narcotica immediate in ventriculæ & intestinorum nervos suis particulis *phlogisticis* agunt HOMÆ Princip. Med. p. 17.

to totum systema circulatorium, sanguinemque fortius cerebrum versus derivant, quod cadaverum seictio edocuit: omnia dein Cicutæ symptomata pari cum iis ambulant passu, quæ à quocunque veneno acri inducuntur; & acrimonia denique, qua linguam jam feriunt, huic veritati nullum amplius dubium relinquunt. Quod itaque summo jure vicinum hocce genus acri principio reddiderim, inficias, ut opinor, nemo iturus.

Eadem Sopientia autem non modo ex acrimonia sua agunt, sic enim quæcunque ceteroquin irritantia eodem fidere mortales traherent, sed & ex principio aliquo vaporoso q) in ipsorum mixtione sat evidenter probando. Hoc eo redditur verosimilius, quod Emollientia mucilaginosa & aqua ipsa calida, multis in casibus, sopiendorum dolorum ergo cum successu adhibeantur. Cur itaque non modo versus acrimoniæ plagam vergere debeant, sed & præ reliquis irritantibus magis versus aquosam, cuique in promptu erit colligere.

Sapiens itaque effectus non uni modo causæ deberi, sed compositus omnino esse videtur tam ex vi irritanti, calefacienti, commoventique, à principio odorato acrique ipsis inhærenti, oborta; quam & relaxatione ex altera parte, ab aquæ vaporibus nervorum encephalique, qua sanguinis impetui hæc minus resistere queant, omnis naturalis vigoris tonique expertia ex languore defatiscantur, ac suscipiendo cuiuscunque motui inepta reddantur. Talia & videmus inter primas immodicæ dormitionis causas, referenda esse solidorum

q) SPIELM. I. c. p. 518.

debilitatem, torporem, humores præ aquæ &c. abundantia vappidos, effœtos &c. r)

Hinc, cur idem principium volatile, acre, phlogisticon, à quacunque substantia odorata, leviores aquæ ope in auras sublatum, inque olfactarios nostros nervos immediate diu agens, hos tandem pari modo irritare, sanguinem eo attrahere, eosdemque vaporoso suo relaxare possint, haud unquam miraberis; nec cur Lupuli decocti vapor naribus diu haustus capitis dolorem vertiginemque induxerit s); similiterque cur Liliorum alb. & Nymphææ recentium odor t) hypnotica quoque evadere possint, fane exinde colligitur. Hoc autem nunquam evenire, nisi quando principium illud volatile, à reliqua mixtione ablatum sui juris, puriusque nervos nostros immediate attingit, quum idem autem mixtioni immixtum, reliquisque consortibus adhuc obvolutum tenetur, eundem eventum haud animadverti posse, nemo non videt.

Elucescit porro, cur Sopientia Narcotica multo principio inflammabili ditata, ceteroquin venena, nec non cuncta reliqua acria, irritantia, vel Emetica, minori dosi exhibita, validissima resolventia evadere queant? dum enim penetrant istud, validumque phlogiston aquæ (nostro in genere) immixtum, nostrum corpus intrat ea proportione, qua nervi ejusdem actioni resistere queunt, nec nimis inde afficiuntur, omnia adsunt, quæ ad resolutionem requiruntur puncta; aqua enim humores satius ad fluiditatem disponit; illudque principium penetrantia sua, si magni est juris, omnem attractionem divellens, craſ-

r) GAUB. Institut. Pathol. §. 759.

s) RUTTY Materia Medica. p. 296.

t) Ibid. p. 287. 355.

famenti globulos nimis adhærentes dilacerat, disjungitque, ut eo promptius cuique motui cedere queant. Cur ergo & Resolventium versus genus vergant in Mappa mea Sopientia, primum est colligere.

Notandum hic denique velim, vim Aromatum, Resinorum, Irritantumque calefacientem non solo stimulo, quo solida afficiantur, sed & simul cuidam acrimoniae phlogisticæ, quam fluidis inducant, esse tribuendum. Probant hoc enim sopiania, per quæ vis nervea ac irritabilitas ita comminuntur, ut cuncta illa pleno torpore obruta, non amplius ab acribus externis in spasmos possint cieri; nec minus tamen videamus pulsum motumque circulatorium exinde adactos, non nisi ab acrimonia quadam derivandos, qua illorum phlogiston nostros humores imprægnet, ac ex qua validius cor *u*) stimulare cogantur. Vero hoc eo proprius videtur, quo Aromata, id non ita copiose vehentia, lauatori usu tamen eandem acrimoniam ingenerent, adque febres inflammatorias &c. disponant; (uti §. VII. monueram.

Sed cur *Cambphora* Resinarum regioni non admota, cum, uti hæc in aqua haud dissolubilis? omnino & Asa fœtida illuc hocce respectu foret referenda; sed licet talem collocationem indicaret hæcce relatio, multæ aliae adsunt, quæ id iterum ventant; nonne enim resinæ ab hisce differunt respectu ceteroquin mixtionis, odoris & effectuum medicatorum? nonne Mercurius ipse, cum ope G. Arabici tanquam saponis in aqua suspendatur, observante Cel. PLENK, illuc quoque foret transrendus, licet tamen à resinis toto cœlo iterum non tam respectu aliarum relationum, quam & mixtionis suæ absolutæ differat?

u) Reliquis licet torpentibus, perpetuus tamen hominis vigil.

160 PARS II. CAP. III. SECT. II. DEMONSTRATIO

nec hic respicitur ad particulares quasdam relationes, (uti jam supra animadvertisi) sed ad omnium simultaneum consensum. Vires quas participat tam sopientes, quam resolventes, per omnes sunt notæ. Vide quanti emolumenti sit habitus noster Chemicus in stabiliendo cuivis medicamini loco α), hic enim nostræ Camphoræ aliquem indigitavit, ex quo sane omnes, quæ de ipsa feruntur controversiæ, ratione vis ipsius, vel refrigerantis, vel calefacentis, poteris conciliare. Tanquam substantia enim fuliori præ reliquis odoratis, aqua condonata, validiora quoque præ hisce, debet exercere resolventia phænomena; hinc cum parcissima manu porrigitur, ut à vitalibus adhuc viribus superari possit, non omne suum jus calefaciendi in hasce exercere poterit, sed lene ejus vaporosum odoratum evehetur & aliquos sopientes refrigerantesque edet effectus. Cum autem præter largius fluidum & copioso sat phlogistæ fit imbuta, quando paulo largior adhibetur, & vires vitales superare, intendere, omniaque ad calorem disponere debet. Ob copiosiorem aquam multo tardius quam resinæ ceteræ calorem movet resolvitque, ob copiosius præ reliquis resolventibus phlogiston magis quoque stimulat, calefacit, propiusque ad Sopientia accersitur. Tota omnino mixtione ab aliis resinis Sopientibusque distare, cuncta testantur. Suspicionem, à copiosiori acido hoc esse derivandum, auget ejus cum argilla tractatio, quæ acidi sat bibula, cum nostra substantia in oleum diffuit. Sed cum aciditatis principia, phlogiston aquamque

α) Præ reliquis Sopientibus enim multo majorem in ipsa dignoscit laxitatem aquosam.

que præprimis esse superius statuerim, cur, et si hoc acidum ipsi insit, omni tamen jure hunc occupet locum, elucescit.

Cum Clar. MODEL ex CASTOREO oleum, quod bitumen redolebat, per destillationem obtainuerit, cur & respectu hu-jus, Resinis magis, quo & illud indigitat habitus Chemicus, appropinquetur, fane intelligitur.

Crocus cum minus sit aromaticus, quam Macis, Moscha-ta nux & Melilotus, simulque sopiat, præ iisdem quoque ab Aromatibus remotior, sopientique generi propior evadit.

Animadvertis, si placeat, scalam hypnoticorum in Narco-tica, tandemque summe venena degenerantem, à solo princi-pio inflammabili adaucto obortam. Nullam aliam enim in illis reperit differentiam Chemicus sensus, nec sana ratio. Animadvertis porro velim, quod illa sensim sensimque inten-fiora venena, pari ratione versus phlogisticam plagam ascen-dant, qua se aqueæ appropinquent; eoque non tam magis stimulare, quam relaxare indicentur, dotes, quarum consensus ad producendum illud phænomenon omnino requiritur, uti paulo superius mox monueram.

§. XIII.

De Resolventibus.

Resolventia stricte sic dicta, sanguinem fluidiorem reddunt, & non modo videntur per internam suam vim se particulis crassamenti interponere, & soli hujus attractioni obstare, (quod faciunt forsan Amara, Aromata & Incidentia) sed & ipsam san-guinis massam fluidiorem adque circuitum proniorem reddere; fluiditas enim nulli principio solido, qualia sunt terra & phlo-

giston, (nostris partibus spissitudinem, soliditatem ac duritiam insinuantia), competit; non abs re ergo mihi videtur, summa cum probabilitate afflere, aquæ rationem in ipsorum mixtione majorem esse, quam in reliquis acrioribus resolventibus. Nunquam enim fuit observatum, ipsorum abusum fibras nostras vel rigidiores reddidisse (qualia Adstringentia) vel phlogistice solidiores (qualia Aromata atque Resinæ) sed aqua eadem ex multa sat parte constituens, & indolis saponaceæ ope à nostro crassamento recepta, hoc non nisi tenuius, dilutius fluidiusve reddere callet & summo jure hujus Elementi plagæ hoc genus admovetur.

Eadem autem non per solum agere aquam, sed & aliquid valide penetrantis illius Elementi fovere videntur, quod per ignem evolutum, vix non cuncta hujus orbis corpora dissolvere, horumque compositioni se immiscere annititur; loquor de principio inflammabili, quod minori copia istam comitans, virtutem aquæ simplicis resolventem & insigniter acuere debet.

Resolventia aquam fovent parciorem quam Emollientia; eadem enim pura magis emollit, quam resolvit, ni caloris principio sit maritata. Hoc evidentissime in illis obtinere colligimus ex balneis vaporum, ubi id ex igne solutum in aquæ mixtionem forsan transcendit, & hinc tam egregie ejusdem actionem auxiliatur. Nequaquam hoc autem mechanicæ dissolutioni aquosarum particularum, per tenuitatem suam nunc facillime in poros insinuabundarum tribuendum; (sic enim ab humido acri locorumque pallustrium inhabitatione eadem beneficia exspectaremus): sed calori & principio inflammabili easdem ingredienti.

Si hoc in ipsis supponas, omnia tibi offerentur, quæ ad feli-
cem resolutionem requiruntur puncta. Diluens enim aqua hu-
morum massam reddit tenuiorem, & ipsi inhærens principium
inflammabile, vasa stimulans, horum actionem promovet
cietque; sic ergo mechanice, massæ spissæ attractio agitata,
per frictionem dissolvitur rumpiturque, & aqua, postea per
medicamenti mixtionem ingesta, hoc inter spissamentum me-
chanice nunc solutum intercedit, attractionem magis magisque
cohabet, & sic humorem reddit tenuiorem dilutioremque.
Inde & intellectui tuo fit clarum, cur calida aqua frigidaque
tam contrario nisu nostrum corpus afficiant; prior enim sibi
immixtum adhuc tenet phlogiston, altera aërem, Elementa
sibi opposita & hinc nostrum corpus in contrarias partes tra-
hentia.

Cur ergo præ Emollientibus, phlogisticæ plagæ satius ad-
moveantur, palam fit.

Ast quis ajet: in corporibus adeo siccis, qualia sunt Re-
solventia, vel Emollientia, quomodo tantam aquæ copiam
statueres? — Non est tanta, quanta tibi forsan ex vicinia
cum linea à phlogistœ ad aquam ducta posset videri, punctum
enim, cui nomen Aqua infixum, nondum est verum hujus
Elementi cardinale, sed ad longam extra Mappam distantiam
incideret, uti jam supra (C. II. S. II. §. V.) monitum, sed
indicatur modo largior in hisce, quam reliquis, ab eodem re-
motioribus, copia; exemplo tibi sint aliæ meræ siccæ substanciæ,
in quibus uberam tamen nostri Elementi quantitatem,
chemica experimenta collustrant. Vitriolum viride mere sic-
cum, ad albedinem calcinatum insignem præmittit fluorem;
talia ceterum se gerunt cuncta salia, nec Chemicorum quis-

164 PARS II. CAP. III. SECT. II. DEMONSTRATIO

quam tamen unquam dubitabit de larga ipsis immixta aqua γ). Siccitas aquæ defectum itaque non indicat, sed solida modo in mixtione prævalere, quæ eandem sua fluiditate privent, inque compositam cum ipsis vim transire cogant α).

Inadæquatam hic quoque morer controversiam: quod si quis sibi fistere nequiret, quomodo tenercula illa adstringentium plantarum, *Veronicæ*, *Plantaginis*, *Auriculæ muris* &c. herbæ, vel *Prunellæ*, *Scabiosæ*, *Bellidis* flores, vel ex amaris *Lupulus*, *Marubii*, *Card. Benedicti*, *Matricariæ*, *Tanaceti*, *Scordii* &c. folia intensiorem jam oculo exhibere debeant terrestrem soliditatem, quam compactiores illæ densiores, solidioresque radices *Chinæ*, *Victorialis*, *Ononidis*, *Bardanæ* &c? Hæc autem fallacia à sola amborum aggregatione, nequaquam autem mixtione oboritur; seca enim mox dictas radices in plana æque tenuia, ac sunt prius memorata folia, & statim, volumine tunc æquali in primis majorem soliditatem terrestrem animadvertes. Mixtio porro nervorum vasculorumque herbas constituentium æque solida, æquisque terrestribus particulis infarta esse potest ac ea, quæ radices constituit; ad mixtionem enim talium ultimarum fibrarum, nequaquam autem aggregationem hicce locorum respicitur. Moleculæ porro physicæ foliorum in longum potius latumque diffusæ sunt, cum ex contra, quæ radices constituunt, stereometrice sibi sint adunatae; & hinc æqua priorum portio in majus volumen debet expandi, quam horum ultimorum. Compinge ergo ali-

γ) cf. de hocce BOERHAAVE Elem. Chem. T. I. p. 582.

α) Secundum legem (C. II. S. II. §. III.)

cujuſ vel adſtrigentis, vel amaræ plantæ folia, ejusdem, cum aliquo reſolventis radicis fruſtulo, ponderis, in æque arctum cum hoc eodem volumen, & ſtatim inde prioris inten-ſior ſoliditas tuæ menti obſiliet.

Millefolii collocationi verſus adſtrigentia, quibus adſcri-‐bunt plures auctores, nec odor, nec ſapor aromatici, nec habi-‐tus præ primis Chemicus annuerunt; hinc ab iis femovi, nec ullibi adaptatius reperi, quam ubi nunc firſto; idque eo certius, quod ex eodem loco præcipiuos ejus effectus poten-‐ter explicare mihi contingat. Tanquam ſubſtantia enim e longin-‐quo verſus Aromata collocata ipſi conueniunt odor mox dictus aromaticus, oleum quod vehit eſſentiale, aqua inde abstracta, aromaticis multis particulis onuſta, resinoſum, quo ſcatet, principium, ſimulque multo ſatiuſ gummoſum, ex quo & multo magis quam reliqua Aromata, aquam verſus remotum; tandemque huc pertinet ob vim quandam ſopientem ^{a)}, ex qua aliquantisper ad reliqua levius ſopientia, Melilotum, Cro-‐cum, Moſchum &c. accedit. Sed cum aliquantisper adſtrin-‐gat, præ hiſce & plus terra ſcatet, huicque plagæ altius ap-‐proximatum.

Moſchi vires ſopientes & antepilepticæ innumeris ſunt comprobatae obſervationibus; quum autem non tantas in fen-‐ſorio communi moveat turbas, quam Crocus largiori doſi in-‐geſtus, nec tanta vi gaudeat antifeptica, cur aquæ propin-‐quior & à phlogiſtā remotior, conceptui fit clarum.

Zibethi diaphoreticæ virtutes (ex quibus in exanthemati-‐cis morbiſ, Varioliſ, ſcabie, morbilliſque à LINNÆO vendi-

^{a)} Löſeke p. 434.

tatur) nervinæ, ex quibus maritos impotentes confortat, inque mulierum sterilitate est utile *b*), atque anodynæ, ex quibus in torminibus infantum, & colica commendatur, quæque mitiores sunt quam Moschi *c*), intermedium ipsi inter hæc genera sedem optime conciliant.

Antimonio candem stimulantem leniorem virtutem nemo, ut opinor, denegabit; nam tanquam substantia metallica scatet principio inflammabili, obque sulphur, quod ex acido vi-trilico oboriens non omni iterum aqua fuit orbatum, (quod probat BOERIAAVE *d*), fovet fluidum, & hinc inter ambo Elementa jure collocatur.

Rubia & *Mercurius* vi, qua pollent ambo, ad ossa usque penetrandi, sat se affinia præstant.

Saccharum & *Mel* omnino sunt, quæ reliqua Resolventia omnibus dotibus Eccoproticis Purgantibus annexunt. Hæc eadem autem pectori conducunt, qualia *Rapa* *Braffca* &c. (à prioribus Purgantibus alieniora), & hinc e longinquò quoque *Becchica* verhus emollientia spectant.

G. Galbanum, *Cichorii radix* ac *Calendulae flores* tam ex habitu quam observationibus multo magis ad Resolventia ferenda, quam ad amara (quorum vires & aliquantis per participant) hinc & in hac classe tenent locum versus terram amaritiei principium, remotiorem.

Quajacum lignum, aromatico præditum ingrediente, quod

b) RUTTY Mat. Med. p. 559.

c) Ibid.

d) Elem. Chem. T. I. p. 588.

ejus tam sapor quam accensi odor gratus fortisque e) monstrat, sic & *Peucedani* radix recens, aromatico linguam feriens sapore, præ reliquis Resolventibus, principium inflamabile versus, cum omni veri specie referuntur.

Sambuci floribus calidæ, stimulantes, levius aromaticæ, simulque diaphoreticæ vires, optime hunc locum concedunt.

Pari jure alexipharmacis assimilatur. *Vincetoxici* radix à Celeb. CRANZIO f) & RUTTY g) cui cum adstipulentur sapor odorve, & stimulantibus vicinior collocatur.

§. XIV.

De Incidentibus.

Cum Resolventibus stricte sic dictis, ratione effectus quidem convenient *Incidentia*, nequaquam autem ratione agentis principii. Nulla enim in hisce vis saponacea, leniter humores dissolvens est detegenda, sed potius vis quedam fortior ad roborantem austera quodammodo & amaram accedens, quam jam sapor ipsorum declarat, sed multo mitior, nec tam concentrata ac in veris Adstringentibus amarisque. Cum porro effectus resolvens evidentior promptiorque exinde exspectetur, quam ex mox dictis generibus, eadem plus præ iisdem aquæ continere probabile fit. Cum Amaris Aromatibusque convenient vi tonica, quam exferunt, stimulo, amaroque quorundam, aromatico aliorum sapore; cum ipsis putredini

e) Löseke p. 181.

f) Mat. Med. T. II. p. 167.

g) Materia Medica p. 44.

resistunt, quod videre est in sale communi, simulque abusu, sicuti ista, nostræ fibrae rigiditatem inducunt (quod idem iterum hic sal quotidie probat) multo tenuorem licet quam priora; & quidem ob majorem aquæ copiam ipsis adhuc commixtam; dotes, quas minime fere animadvertere dant Resolventia, sanguinem potius diluentia, fluidiorem reddentia, & largissima manu porrecta, vix aliquid rigefacientia. Cur itaque nostrum genus terræ proprius admotum sit quam Resolventium, & quomodo inter hæc atque amara ambigat, ratio patescit.

Allium & Cepa, simul ob principium, quod vehunt, volatile ad alvum stimulant, hinc merito incidentibus Purgantibus admoventur.

Dauci Radix reliqua cuncta lenitate exsuperans, lenibus quoque hinc Elementis aquæ & aëri propior.

Rad. *Anglica*, *Meë Raphani*, atque *Ligustici* vires acres, sed simul minus calefacentes, quam Aromatum minusque constringentes quam Amarorum per omnes sunt notæ; hinc & cur illis inferiores, & præ his satius aqueæ plagæ obversæ, perspicitur.

Soda Alexandrina tanquam alcalina substantia simulque inciens, dum in hoc genere locum occupat, & aëri propior debet admoveri. Alcalia enim multo acri scatere supra jam retuli.

In *Borace* sensus Chemicus altiorem soliditatem phlogisti-
cam detexit. Si verum est, quod ad cupri fodinas paretur,
quum in hoc, tanquam metallo rodenti multum principii in-
flammabilis hæreat, non mirum, cur & illi idem accrevisse
debuerit.

Sal communis multo magis stimulat minusque quam Nitrum
resolvit; & simul est pronior, ut fibris rigiditatem suggerat.

Ulti-

Ultimum hinc omni jure aquæ, & prius terræ, simulque principio inflammabili, accedit.

§. XV.

De Diureticis.

Cum diuresis sit modo in unum nostri corporis viscus effe-
ctus particularis (à quadam talium medicamentorum ad idem,
respectu mutuæ mixtionis, relatione oriundus) nec ad gene-
raliores quoque totum corpus afficientes virtutes erit referen-
dus, sed ex multifariis dissimillimisque sœpe principiis poterit
producere. Exferunt enim istum alia per vim, quam in totam
humorum massam spargunt resolventem, qualia Radix Pimp-
nellæ, Ononidis, Seneciæ; Rapæ &c.; alia per emollientem,
qualia Semen Cannabis, Violarum & folia Linariæ; alia per
his plane oppositum principium irritans stimulansve, qualia
Cantharides &c. hinc ille, tanquam secundarius, ex generica
demum virtute oriundus, peculiarem genericum locum obti-
nere quoque nequivit, sed quodque suo generi immiscui sola
lineola subita tanquam Diureticum indigitans.

Specifica autem, ad quæ referto Lignum Nephriticum, Lamii
flores, Milium Solis, Alkekengi baccas, Genistam, Calcitra-
pam & Lamium Plinii (quorum nullum cum eadem aliam ad-
huc virtutem conjungit) mihi summo cum jure, quem affi-
gnavi in Mappa, locum tenere videntur. Dum enim inter
Adstringentia, Incidentia, Purgantia eccoprotica, & Emol-
lientia vim ipfis esse intermedium, assumas, commodius eo-
rum effectum explicare tibi dabitur, quam si ad ulla alia gene-
ra retuleris. Inter Incidentia enim & Adstringentia posita

Y

induunt vim leniter stimulantem, blandeque solida afficien-
tem, (fortiori quippe irritamento particulæ aquosæ, sat jam per
se fluidæ, & omni motui cedentes, ut eo trahantur, non
egent); hinc male versus genera magis irritantia verterentur.
Inter mox dicta & Purgantia eccoprotica medium tenent lo-
cum, quia prioribus mitius, posterioribus fortius solida affice-
re videntur nec humores tanta mucilaginis copia, quanta
Emollientia opplent, quæ omnino hosce tenellos ductulos po-
tius infarceret, quam depleret. Cur itaque ab his, & Purgan-
tibus illis remotiora, simulque Incidentibus Adstringentibus-
ve propiora sint collocata, dignoscitur.

Genista, cum principio quodam Amaro scateat, & simul
altius terrestrem plagam versus spectat.

Lamium Plinii à reliquis, principio aliquo aromatico se di-
stinguens, & præ iisdem magis ad phlogiston vergit.

§. XVI.

De Fragrantibus.

Fragrantia inter se tam respectu odoris, quam reliquarum
virtutum, analepticæ junctorum, ita inter se mutuo discedunt,
ut in nullum peculiare genus reducenda videantur, sed satius
quodque dispersim illi generi approximandum, cui per reli-
quarum virtutum syndromen magis respondet; uti Rosa rubra
Adstringentibus, Violæ flores Emollientibus, & Purgantibus
mucilaginolis, Moschus & Zibethum Sopientibus &c.

§. XVII.

De Purgantibus Eccoproticis.

Resolventia inter ac Emollientia omni jure referenda sunt *Purgantia Eccoprotica*; lenissimo modo stimulo intestina afficien-
tia b). Cum prioribus convenient ratione virtutis suæ sapo-
naceæ, fluida nostra leniter resolventis, ut eo commodius
cloacam communem versus trahi, hicque secerni possint;
cum posterioribus, ratione suæ mucilaginis & demulcendi vir-
tutis. Figantur ergo inter ambo.

Dulcis sapor nonnisi ex acido, mucilaginosis, vel oleosis
particulis obducto oriri debet i), sed cum aciditatis principium,
phlogiston esse ante statuisse, cur nostrum genus summo
jure inter istius plagam Emollientiaque mucilaginosa ponatur,
vel hisce, sed multo majori aciditatis principio præditum,
adscribatur, conceptui fit clarum.

Manna præ reliquis congeneribus omnibus dotibus præ-
stantior, & præ iisdem magis resolvens, huic quoque generi
contermina.

Polypodii radix tam ob saporem quam resolventem, simulque
purgantem virtutem, nullum videtur locum tenere posse,
hisce qualitatibus satius respondentem k).

Violæ flores nulli alii loco satius convenire perspexi ex ha-
bitu ipsorum Chemico. Sicut insuper mucilaginosi, qualia
Emollientia, nec tam dulci, simulque aliquantis per stimulan-

h) SPIELM. Materia Medica p. 619.

i) Id. Institut. Chem. p. 73.

k) cf. Id. Mat. Med. p. 569. CRANZII Mat. Med. p. 219.

ti sapore præditi, quam illa dulcia Eccoprotica; hinc ab his quoque remotiores. Sopientes corundem virtutes, quas præcipue *Baglivius* enarrat, omni jure ipsorum vi demulcenti, relaxanti, emollientique tribuendæ, nec unquam sipientibus stricte sic dictis poterunt admoveri. Illa enim in quacunque inflammatione & diathesi sanguinis phlogistica gravissimas noxas ingerunt, nostri contra flores easdem summo cum levamine tollunt, refrigerant, & angina laborantibus conducent *1).*

§. XVIII.

De Emollientibus.

Emollientium patria tam versus Resolventia, quam iterum Purgantia Eccoprotica vergit. Cum prioribus necuntur Saccharo Melleve; cumque posterioribus Cassiae pulpa, quæ minus præ Manna resolvit, magis autem vicissim demulcat, emollit atque relaxat. Vergunt eadem versus aquosam plagam, dum hoc Elementum ipsorum quasi basis salutari mereatur, quod patet luculentissime tam ex dictis Cel. SPIELMANNI *m)* quam experimento BARCHUYSEN *n)* qui ex animalis muco, (emollientium sat affini) tantam aquæ quantitatem extorsit, ut omnino decimam octavam partem non aqueam esse repererit *o).* Omni porro rigidati medentia, adstringentium

1) RUTTY Mat. Med. p. 543.*m)* Mat. Med. p. 449.*n)* post Acroamata Exper. 7.*o)* cf. quoque PINELLUM de podagra p. 215.

se gerunt antidota p) hinc, cum spasmi adsunt & contractio-
nes, adstringentium, præcipue metallorum æmulæ, indicatio
jubet, ut statim Emollientia, & quidem largiori dosi propine-
mus. Nec mirum, per Elementum enim oppositum, vis-
itorum terrestris, multum imminui, debilitari, partesque ite-
rum deitate laxari debent. Hinc quoque vice versa non mi-
rum, cur ea similiter corpora, quæ aquæ oppositum Elemen-
tum, terram scilicet, majori copia vehunt, & nostro iterum
generi opponantur, roborent, tam fibrarum quam humorum
nexum nimis resolutum laxumque adstringant, terrestrium
partium massam adaugeant, & aquosarum denique potentiam
ita infringant, ut minus juris dein in functiones nostras exse-
rere possint.

Sed eadem multum aëreæ plagæ admovi. Hujus Ele-
menti insignem portionem continere nostrum genus, persuadet
mihi eorum nifus ad putredinem, qui fixo aëre turgidis corpori-
bus est proprius q). Hic est tantus, ut non modo ipsa sint
ad putredinem prona, sed & alias nostri corporis partes ad
eandem disponant; vis hoc declarat, qua gaudent, inflamma-
ta in putrilaginem vertendi, aëris rationem in ipsis augendo,
& hinc, ut majoris juris fieri, exque mixtione erumpere

p) cf. hic dicta Celeb. SPIELM. ibid. „Rigiditas exigit principii hu-
„midi restitutionem; hoc cum gelatina sit, cui mucilago proxime
„accedit, utraque autem ex aqua & oleo unguinoſo efformetur &c.”

q) Non enim fieri per solius externi actionem probatur in *Memoires de l'Académie de Chirurgie* T. I. p. 38. Sic idem observatur & de alca-
linis substantiis eodem aëre turgidis, ex Ill. PRINGLE & MACBRIDE
experimentis.

tentet, alliciendo, à quo nisu fortasse putredo! Nonne enim commercium, quod aér internus fixus cum externo alere molitur, est causa, cur erumpere, & homogeneo potius quam heterogeneis in mixtione adhuc ipsi associatis elementis, se jungere studeat? & sic dissolutionis agit fontem?

Ni penitus verum, probabile saltem potest videri.

Mucilaginem porro insigni aëris copia turgere docent mihi iterum Nutrientia flatulenta, ex mucilage ut plurimum conflata: exemplo fint hordeum, quod fine Lupulo damnandum omnino cerevisiam largiretur; poma terræ, triticum ipsum, præ reliquis cerealibus granis licet copiosiori gelatina scateat, fermentando tamen evidenti aëre epullulante turgescens; olera denique blanda; ciceres, fabæ, pisæ, quorum, insignis quamvis fixi aëris portio jam per coctionem expellatur, reliquus tamen debiles, quos eructant, flatibus, quotidie excruciat. Quis autem æquas principii inflammabilis dotes in ipsis demonstraret?

Sed eadem, quæ nunc recensui, Nutrientia, Emollientibus præprimis esse analoga, mortalium nemo, uti reor, inficias ibit; cur ergo eandem circiter fixi aëris copiam nostro generi denegaremus, quum eadem forsan flatulentia de ipsis in vulgus esset nota, si in tanta, qua cibi, mole quotidie usurparentur? Nonne de Mannæ flatulentia, debiles præprimis, quotidie conqueruntur?

In nostro corpore plus aëris, quam principii inflammabilis hærere, elicimus insuper ex quantitate prioris, omni momento per venas pulmonales ex aëre resorpti, humorumque massæ ingesti; sed quid eandem principii inflammabilis copiam sine noxa invcheret? ex nisu porro ad putredinem jam dicto;

sed nonnisi affinia corpora se mutuo attrahere posse , per omnem Chemiæ ambitum cunctaque experimenta elucescit: hinc , quum aër externus humanum corpus tam facile ad putredinem disponat, necessario sibi affinem aërem in hocce reperire debet, quem tentet allicere, sed fieri hoc nequiret, si idem plus inflammabilis principii, quam aëris veheret, hic quippe non tam arduus esset istud sibi inimicum attrahendi; colligitur denique ex *amico effectus aëris, nos ambeuntis, inimico contra irritantium aromatumque (in quibus phlogiston suppono)*. Si enim in hisce, hic ipse aër maximopere præpondaret, effectus æque circiter amicus ab ipsis nobis suppeditatur, ac ab aëre ipso; dum quæcunque corporum operationes morem semper gerunt viribus elementorum ipsa constituentium: hoc autem nequaquam evenire, quotidiana comprobant experientia.

Omnia damna exspectamus à principio inflammabili nimia copia nostros humores infestante; ex spissitudine phlogistica multisque aliis similibus morbis perclare patefacta ; centuplo contra majorem non modo impune , sed & in summum sanitatis emolumentum ferimus aëris ingesti quantitatem r). Collige ergo hæc argumenta , & ni forsitan ad summam evidentiam rem tibi probare videantur , multo tamen clarior tibi inde affulget verisimilitudo, quam si oppositæ sententiae institeris — hinc infer ab iisdem ad nostra, humanæ tam fabricæ , quam nutrientibus quam maxime analogæ Emollientia. Cum ipsis hæc præ ceteris medicaminibus satius convenire,

r) Sic insignis talis copia quotidie per cibos nobis ingeritur. HALLE⁸
El. Phyſ. T. VI. p. 296.

docet nutriend G. Arabici mucilago \textcircled{s}) Saccharum \textcircled{t}) Rad. Satyrii \textcircled{u}) reliqua tam grana cerealia, quam legumina &c. ex sola mucilagine nutrientia; medulla & adeps jam proprius ab animali organismo elaboratæ, blanda & absque noxa (nisi ex nimia copia) qualiumcunque emollientium ingestio; tot denique Emollientia, nutrientium vicibus fungentia, lac, jura carnium, butyrum &c. Sed cum uberiorem aërem, parcus autem phlogiston in nostro corpore hærere, ex magno experimentorum numero \textcircled{x}) probabile fiat, cum porro Emollientia tantopere ad nostram naturam accedant, & eadem hic, summo cum jure locum tenere ex argumentorum syndrome colligitur. Cumque tandem Irritantia & Aromata nostro generi, omni sensu oppositas edant functiones, cur iterum in iis Elementum hisce oppositum, principium inflammabile scilicet emineat, elucefcit.

Dulcedinem oriri à lucis privatione, vel quod idem fere est, à minori portione ignei principii resorpti, videre est evidenter in dealbatione hortulanorum, qua olera sua gustui gratiora, minus acria & nostræ indoli adaptatiora reddere tentant; effectus ergo illi oppositus, acrimonia, debetur majori ejusdem Elementi quantitati immixtae; Emollientia hinc, mucilaginosa & dulcia minorem ipsius copiam fovent, & optimo jure à phlogistica plaga remotiora Mappæ infiguntur.

Quum

\textcircled{s}) Ex observatione HASSELQUISTII.

\textcircled{t}) testante PISONE.

\textcircled{u}) ex *Journal de Medecine* T. XL

\textcircled{x}) cf. HALLER. loc. cit.

Quum Emollientia, præprimis oleosa, irritamentorum qualiumcunque & acrum sint antidota, (quod oleum olivarum viperini morsus, lac arsenici antidota &c. probant) istorumque vim penitus infringant, necesse sequitur, & hancce virtutem Elemento priorum opposito deberi, vel acria ergo, aërem fixum in magna sat copia vehere debent & mollia phlogiston, vel vice versa; sed aërem illum, acrimoniæ similes nullos edere effectus, probatur eo, quod in flatus erumpens, multumque expansus, physicos quidem extendentes, nequaquam autem acres, inflammantes, rodentesque edat operationes ^{y).} Externus porro aér placidissime nos quotidie absque ulla unquam molestia lambit, cum inflammabile contra principium in quacunque flamma evolutum, nos irritet eminus, cominus rodat.

Phlogiston esse odoris saporisve principium per plura chemica experimenta evincitur, cum autem his qualitatibus plus praedita sint Aromata, (quæ simul acria sunt) quam Emollientia, & istis id magis competere, quam hisce, redditur iterum verosimile.

Refrigerans nostri generis virtus nil esse videtur, nisi effectus secundarius à demulsione acrum particularum stimulantium, & hinc calorem intendentium, & ab obtusione principii inflammabilis, per objectum ipsi magna in copia aërem.

Aér denique fixus, ex fermentatione mucilaginosarum plantarum copiosissime eructans, evidentissimum meæ sen-

^{y)} Ibidem,

178 PARS II. CAP. III. SECT. II. DEMONSTRATIO

tentia est fulcrum ac testimonium; idem enim de Aromaticis afferi nequit; quæ contra ab omni putredinis nisu arcent.

Cum itaque Aromata & Emollientia omnibus dotibus ubivis se contraria gerant, ambo quoque contrariis principiis quoad maximam partem constitui, ad evidentiam nuncce probatum fit.

Multi tamen nihilominus in dubium vocabunt, quod axungiar, olea unguinosa, reliqua pinguia tam potenter licet inflammabilia, tanto tamen spatio, à phlogistica plaga removerim.

Ast qui consideret,flammam nequaquam solo principio inflammabili constitui, sed nil esse (uti C. III. S. I. §. II. jam monueram) nisi hujus attritum ad cetera, quæ cum ipso in mixtione hærebant, Elementa, ex quorum compositione se nunc liberet, & sui iterum juris evadat, is statim perspiciet, nullam omnino ex hacce theoria obicem ponи, quo minus uberior adhuc aliorum Elementorum portio, præter principium inflammabile, corporibus inflammabilibus inesse possit; dummodo hoc ultimum à quacunque ardenti materia fuscitari, per externum adhuc aërem fortius sollicitari, adque secessum possit disponi, ut tota dein Elementorum mixtio solvatur. E contra, si multum aëris in inflammabilibus talibus corporibus suppono; effectus flammæ promptius, quam per multum in iisdem suppositum phlogiston poterit explicari. Cum enim eorum ingredientia per jam se dissolventia Elementa adnoti corporis ardantis incitantur, & ad dissolutionem (quale fermentum per similem nisum & aliud corpus ad dissolutionem primum reddere potest) cidentur, *externus aëris* se nunc aëri ante fixo, nunc autem per dissolutionem elasto iterum redditio-

jungit, ejus elasticitatem & erumpendi nisum auget, quo fit, ut, dum Elementum, quod in magna sat copia antea corpus constituisse suppono, aër scilicet erumpit, reliqua ingredientia non amplius in pristina sua attractione remanere possint, tota ipsorum compages solvatur, secedentia non solum contra se invicem sed & contra inflammabile principium fricentur, & inde calor effectusque in nostros sensus oriatur, quem flam-mam salutare consuevimus.

Magnam aëris copiam inflammabilitati nequaquam obesse, colligere nobis datur ex aëre ipso fixo inflammabili, ex ructibus, qui flam-mam admotam conceperunt, quorumque exempla leguntur in *Histoire de l'Académie* z); similiterque ex inflammabilibus alvi crepitibus a), sed aërem fixum particularum ita putredine solutarum inflammabiliumque principem esse confer ex quacunque fermentationis historia exque iis, quæ sic in ventriculo, digestionis tempore contingere constat b).

Unguinosa olea ab odoratis, ratione plurium, quas vehunt gummosarum particularum differre demonstratur in *Chemicalis* c); sed ex affinitate gummatum cum mucilagine iterum elucescit ratio, cur & pinguedines ad olea unguinosa acceden tes in tanta cum mucilaginosis substantiis vicinia reperiantur; ex eadem affinitate insuper elucescit, cum mucilagini magna aëris quantitate scateant, cur & olea unguinosa, in-

z) 1751. Obs. 4.

a) LISTER de humor. p. 76. & TACHENIUS morb. princip. p. 40.

b) HALLER Elem. Physiol. T. VI. p. 296, sq.

c) SPIELM. Inst. Chem. p. 218.

flammabilia licet, summo tamen cum jure versus aëream plāgam spectent.

Cum porro Emollientia !mucilaginosa, elastoicō illo utplūrimum conflata sint, oppositusque effectus, irritatio, principio præprimis inflammabili debeatur, cum blandæ pinguedines non irritent, sed emollient; quod de prioribus ratione illius Elementi fuit statutum, & ad hasce ex effectuum analogia quadrare, sane intelligitur.

Nequaquam autem his dictis asserere me velle, tibi persuadeas, nullum plane pinguedinibus inesse phlogiston, nunquam enim sic forent inflammabiles; sed automo modo, hujus portionem in illis multo esse minorem, quam in Irritantibus, Aromatibus, Resinis, reliquisque generibus, quæ ipfis superimposui.

Quum Emollientium mucilago cum illa Nutrientium sat multum conveniat, hæc autem nostræ fabricæ quam maxime sit amica (dum in ipsius indolem facillime potest verti) & hinc eam nutriat, sustentetve; perspicitur nunc ex toto Mapæ superficiali aspectu hæc generalis, ab ipsa Natura dictitata lex: quod nimirum ea corpora, quæ *nostro analogam* circiter *mixtionem* fovent, ratione suæ indolis quam maxime quoque eidem respondeant, ad nutrimentum, conservationem firmitatemque ipsius faciant; ea contra, quorum mixtio paulatim à nostra recedit, & nobis minus analoga sint *d*), minus in nostram substantiam commutari possint, sed magis ad indolem

d) Quam ob rem CELSUS quoque medicamenta mali succi esse pronuntiat L. V. Praef.

medicamentosam tandemque venenatam *e)* accedant; quod videre est evidenter, in Irritantibus Narcoticisque venenis versus principium inflammabile remotis, substantiisque iterum nimis terrestribus, qualia sunt Plumbum, Lithargyrium &c. nec mirum! cum enim nostrum corpus quam maxima aëris copia constituatur *f)*, oppositum hinc Elementum, in Irritantibus, rodentibusve venenis præponderans, maximique juris, in eundem nobis inhærentem debet sœvire, gravissima damna nostro corpori inferre, idque tandem, si nimis prævaleat, penitus destruere: cum insuper *aqua* parem cum aëre iterum ad nostram mixtionem conferat symbolam, non tenax eris, ut eruas, cur & pariter substaniæ nimis *terreftres* *g)* isti ex indole sua oppositæ, præcipueque metallicæ, phlogistæ adhuc austæ, tanquam summe draſtica vel & venenata se gerant (quod constat ex præparatis regulinis & plumbo) cur denique ex ambobus illis solidis principiis maxime composita, qualia præprimis cauſtica metalla ſolda, calx viva &c. in ſummum nostræ fabricæ detrimentum agant. Sic quoque perſpicitur, cur Emetica (per immixtam licet fibi aquam aliquantis per mitigentur, nec hinc tanquam mera venena agere queant) à

e) Loquor hic de ſtatu physiologico, quod enim huic eſt ſummuſum ve- nenum, pathologico, prætantissimum potest evadere remediuſum.

f) Ita ut hunc quoq[ue] tanquam cunctorum noſtrorum ingredientium vinculum affumat Perill. HALLERUS.

g) Si noſtris humoribus aliq[ui]d ſolvendum præbeant, quod iis immixtum ipsisque altius inſinuatum eo fidentius indolem ſuam hoſtilem inſigere poſſit, ni hoc fiat, tanquam inertia iterum abſcedens, nec à corpore ut heterogenea affumuntur.

nostro tamen corpore rejiciantur saltem, nec ab illo placide queant ferri *b*). Hic autem probe notandum duco, minus nobis opposita & inimica esse, nec tam prompte in nostram destructionem agere terrestria, quam venena phlogistica, Arsenicum, Calcem vivam, acidum vitriolicum *i*) &c. quoniam fortasse ob uberiorem, quam vehit, nostra mixtio terram quam phlogiston, & illis haec propior est quam hisce.

Ad clarum itaque sic perducta est ratio, cur, quo plus phlogistū aliquod corpus foveat, & eo magis irritare debeat, nostraque stimulare; quoniam cuncta in rerum Natura sibi opposita in motus se cent, nec placide atque amice se mutuo excipiunt, quod infinitis non ex physico modo, sed & morali mundo comprobatur exemplis. Hinc & perspicitur, cur Resolventia & Emollientia præprimis, ex summa parte nostræ mixtioni sint adæquata; dum enim ex aqua vel aëre componantur, in nobis met ipsis præalentibus, & nostræ indolisunt analoga, minimaque damna ipsi queunt inferre.

Inter eadem Emollientia iterum intercedit differentia specifica. Sunt enim alia, quæ magis præ hisce molliunt, hincque magis refrigerare videntur; iterumque alia, quæ magis relaxant & à fabrica animali fabrefacta, huic quoque præ reliquis magis accedunt; qualia pinguedines, sebum, medulla, cornu cervi, ova, rasura eboris, sperma Ceti &c. eademque sunt, quæ proximum vinculum Emollientia inter ac Nutrien-

b) Quod ex benignissimis Naturæ moliminibus, ingestis aliis venenis, Arsenico &c. sœpissime quoque contingere solet.

i) Quæ talia edere ex copioso, quod ea ingreditur, phlogistū, superius jam probaiv.

tia constituunt, quæ ultima iterum Absorbentibus e longinquo contermina. Sic in se invicem redit virtutum medicarum circulus, sic idem, qui in characterum naturalium affinitatibus, & hic observatur ordo; sic perstat tota rerum catena, sic totus ubique observandus necitur circulus, siveque in minoribus semper eadem observatur lex, quæ in maximis totiusque Universi commissura!

Ovi vitellus ac albumen, fat multum nutrientia, cur inter Emollientia Nutrientia que plagam (hic quidem non nisi per vacuum indicatam) ambigant, perspicitur.

Cornu Cervi & Ebur multis scatent gelatinosis particulis multisque pinguedinosis, cur illis itaque animalia versus, mucilagines inter pinguedinesve medius sit locus, non ignoratur.

Cornu Cervi tornatum, multo pluribus inertibus terrestribus non gelatinosis partibus scatet k), terrestri hinc plaga magis amicum.

Sperma Ceti cum prioribus sit pinguis, & multum simul gelatinæ contineat l), omni jure iisdem præ sebo &c. propius, inter ambo quoque militat.

Malvae Radix minus præ Althææ est efficax, nec tantum mucilaginis copiam vehit, hinc & magis terram versus spectat, & ab aëre aquave, mucilaginis principiis remotior.

Nuces Beben ob oleum, quod vehunt, unguinosum emollientis nostri generis pharmacis est cognatum; ob amarum au-

k) LOESEKE p. 517.

l) SPIELMANNI Materia Medica p. 143.

tem, quod simul vehit, principium, ab his iterum recedit & terrestri plagæ, cui quæcunque amarities debetur, sese ad-jungit.

Sarcocollam, quæ simul cum amaricie aliquid acriusculi gerit, ex habitu omnino huc collocavi; & vires, quas Arabes ipsi adscribunt, lenes, nec nisi aliis purgantibus acutæ *m)* catharticæ, sapor amarus, dulcedinem glycyrrhizæ æmulam post se relinquens *n)*, ejus guimmositas, qua ad mucilaginosa accedit, mitis denique & mordacitatis expers vis resolvens Græcis ignota, quam AVICENNA & MESUE detexere, istam omnino præ reliquis Emollientibus, Purgantia versus & Resolventia promovere jubent.

Sic huic admotius est *Fenugrecum*, cum illis emollienti principio præditum, sed multo majori amaricie præpollens.

Ast quis irruet: sed unde ex Mappa cognoscam, Fœnu-græco, Nucibus Behen &c. intensiore inesse amaritem, quam reliquis, cum tanto intervallo, ab hac amarorum re-gione iterum distent, & hinc potius ipsis tribuerem Diureticam virtutem aliamve? Sed hic regero:

Mappa proprie non indicat affinitates medicamentorum se-cundum nomina generica, sed modo respectu ipsorum mixtio-nis, principiorumque eadem constituentium, non respice er-go priora, sed tantummodo proportionem circiter Elemento-rum, cui quodque genus adfixum, & ex gradu quo quodque pharmacon alicui plagiæ accedit; conclude ad virium huic pro-priarum

m) RUTTY Mat. Med. p. 464.

n) Ibid.

priarum, in eodem gradum intensitatemve, sic si quæ substantia majori præ suis congeneribus præpollet amaricie, cum hæc virtus debeatur alicui terræ portioni phlogistæ nuptæ, necessario & illi, ut amarities exsurgere possit, majorem terræ phlogistæ rationem inesse inferatur; si aliquid præ altero arctius sibi innexam teneat vim aromaticam resolventemque, sit tibi indicium, non exactissime inter ista duo genera esse collocandum, sed modo præ congeneribus plus principii, à quo istæ virtutes pendent, fovere; si reliquis Emollientibus amarius, quale hic Fœnugræcum, præ iisdem & plus terræ contine-re; si magis aromaticum, quale inter Amara Absinthium tam vulgare, quam Ponticum, & plus Aromatum principii, phlogistæ scilicet; si magis resolvens, qualia Tamariscus & Eupatorii herba, plus aquæ &c. Composita enim vis in nostri generis Fœnugr. Nucibusque Behen progignitur ex principio emollienti (aqua scilicet & aëre) principioque amaro, terra nimirum aliqua principii inflammabilis portione aucta; propiora itaque ad id vergere debent, quo quam maxime præpondent; sed cum hoc, hicce locorum sit emolliens, facile perspicitur, cur & huic generi magis præ reliquis terrestribus amaris sint approximanda. Si pura essent amara, nec mucilagine infarta, ab horum regione nullatenus recederent, sed cum & Emollientium vicibus & quidem validius quam illorum fungantur, & aquæ aërisve ratio intensior ipsis debet inesse, ex qua in Emollientium viciniam reponantur, sed non neglecta probe majori terræ portione amaricie principio. Hoc quoque de similibus aliis intermediis speciebus tibi velim notes.

Viperæ caro, cum sit gelatinosa, aliquantum pinguis, simulque valide nutriendis teste ALSTONO, quo cum G. Arabico

Aa

convenit, & phthisicis conduceat CARDANO auctore, & æque vel forte magis ad'putredinem tendat ac reliquæ plures animales substantiæ Cornu Cervi &c. o) cur inter hæc, magis autem versus aquam & aërem, putredinis causas, sit posita, eluceat.

Dum *Psyllii semen* non modo cortice scateat mere mucilaginoso, sed & interna medulla acuta, vehementer incisiva, à qua plurimi Auctores & purgantem aliquam derivarunt ex testimonio MESUE, aliique venenosam virtutem, & masticantis linguae relinquat acrimoniam sat diu durantem, & spiritus vi- ni ex ipso materiam acrem, saporis ingrati à mucilagine distinctam extrahat, cur ad Emollientia quidem, sed sat insigni distantia collocetur, perspicuum fit.

Ita mihi videntur *vires* corporum naturalium per totum universum degenerare non constanti quadam & determinata lege, sed prout corpora naturalia ipsa per scalam historiam eorum suffulcentem degenerant, in omnes plagas scilicet & directio- nes irregularis ad instar alicujus retis, & hinc nulla planior clariorve methodus mihi videtur ad Naturam quadrare, quam succeſſive degenerantes in omnes regiones virium commissuras una eademque Mappa simul oculo sensibusque exhibere, ut eo melius connexio gradatiorē perspici, & justus alicujus virtutis gradus, qualicunque individuo casui necessarius, exinde eo citius & accuratius defumi applicative queat.

§. XIX.

Cujusvis individui medicamenti in Mappa locum ex ampliori experientia, vel huc quadrantibus eductis, aut relationibus

o) RUTTY Mat. Med. p. 544.

chemicis demonstrare, Pontum omnino foret ebibere quippe quodvis peculiarem fere sui tractationem exposceret, quæ de singulis exhibitæ totam potius doctrinam perturbarent, quam illustrarent, nec de *plurimis* sufficientia luculentaque prostant aut observata, aut experimenta, quæ rationali tali demonstrationi uberrimam affundere queant lucem, hinc ea, quæ me sensus chemicus, solus quem in distribuendis ejusdem generis speciebus consului, edocuerit, sanæ omnino experientiæ responderem paucis his modo indicasse sufficiat, ut ad ejus integratem probitatemque reliqua circa individua, totamque Mappæ distributionem omni jure possimus concludere.

Repeto ergo, nec satis meo lectori inculcare queo, me nequaquam ex priori, scilicet mox dictis argumentis, sed ex posteriori, ex sola habitus chemici analogia totam Mappam, quallem coram te pono, construxisse; sed hac penitus jam condita, me demum in imperium tam chemicorum quam practicorum experimentorum rediisse, ut, an ea, quæ temere sic disposeram, rationis anæque experientiæ responderent, inspicerem, latusque tum fueram miratus, quam placide mihi continuo ex quibusvis observationibus nova affluebant argumenta, arctissimum, sensum inter istum Chemicum, experientiamque commercium confirmantia, armantia, stabilientia; & tunc demum mihi, antea adhuc hallucinanti cœcutientique, repentinio ictu clarissima evidentissima lux oboriebatur, fidissimam istius sensus divinumque ad detegendam veritatem indicium, gratissimo spectaculo ad oculum demonstrans.

A a 2

§. XX.

Synopsis totius systematis argumentorum.

- I. Medicamentorum vires quatenus per practicas observatio-nes illustrantur, nonnisi sunt relativæ ad quemque statum, morbum & præsentium conditionum consensum; ergo nil certi & constantis ad generales pharmacorum affinitates sta-biliendas nobis inde affluit commodi.
- II. Inest tamen medicamentis aliquid sempiternum ab ipsorum existentia nunquam separabile, illorum naturam constituens, & ex quo tanquam ex generaliori principio, omnes hi relati-vi eventus, dijudicandi erunt, vis scilicet cuivis absoluta.
- III. Hanc autem non nisi in ipsorum mixtione latere, aque hac sola pendere, colligere licet ex consideratione: mixtio-nem cuiusvis corporis & corpus ipsum, esse synonyma. Cum autem in ultimo delitescat hæc vis, & insita esse debet illi priori.
- IV. Si autem à mixtione pendeant vires corporum absolutæ, à se invicem debent differre in ea ratione qua mixtiones à se invicem discrepent.
- V. Qualescumque mixtiones, chemica analysi dijudicatae, ad eadem fere principia reducuntur, quo ergo à se invicem di-stant, ab horum sola varia proportione derivandum.
- VI. Huic autem exhibendæ chemica experimenta nequaquam sufficiunt; sed alia patet via, qua clarius, distinctius accuratiusve determinetur; via experientiæ pie respondens.
- VII. Est ea, quæ sensuum dijunctione exaratur, cujusque caracheres & principia Cap. II. §. II. explanavi.
- VIII. Cum illorum ope, an & in quanam proportione, alte-

rum quoddam præ altero corpus vel plus principii inflammabilis, vel terræ, vel aquæ &c. vehat, relative delineare possimus, per eandem facilem gratamque encheiresin, quoque de singulorum corporum mixtionibus, in quibus absolutæ vires sunt positæ, certiores nos reddimus. Ergo has ultimas securissime sensuum interventu possumus exponere, earumque affinitates, sola ad quatuor cardinalia puncta relatione, incorrupte exhibere.

Agam nunc, ut eandem Mappam de quibusdam adhuc controversiis Capite nostro IV. purgem, eandemque non sine fructu esse in Practicis, sed clarissimam sanæ felicique medendi methodo lucem affundere, Capite V. demonstrem.

CAPUT IV.

Notæ miscellæ.

I. Ex antedictis itaque facile liquet, non tendere meam Mappam, ut novas & inauditas, ex nova theoria de mixtionibus & proportionibus quatuor Elementorum, in singulis substantiis contentorum, vires ducat, sed ut eas, quæ jam notæ sunt, in meliorem ordinem redigat, exque debitiss principiis, mixtione scil. derivet. Non sicut ergo eadem affinitates medicamentorum nisi secundum vires in eorum ipsa natura latitantes, hanc quaquaversus comitantes ipsique quasi essentiales; *absolutas* dico, quatenus ab eorum mixtione pendeant p).

p) A qua omnes absolutæ vires derivandæ.

II. Perspicis porro ex Cap. II. non vires pharmacorum, quatenus relative in nostrum corpus agunt, jam sensibus posse dignosci (sanæ mentis enim compoti hocce nunquam libet) sed istorum modo mixtionem, ex qua dein vis cuiuscunque absoluta colligi potest.

III. A quatuor elementorum in corporibus proportione horum pendet mixtio; ab hac vis cuique absoluta. Cum autem priorem in relativa scala vel reti potius inter substantias obtinenti, sat probe in hac Mappa exposuerim, non multum hisce aberis ut annuas, me quoque statuisse vires ipsorum absolutas.

IV. Si Auctores quidam vel præjudicio capti, vel aliorum auctoritate seducti, vel falsis, (quales ex veteribus multi) tam physiologiae quam pathologiae principiis imbuti, medicamenta ad classes quasdam retulerint, quæ ego sensibus meis assentiens (sensibus qui in generalioribus & plurimis longe substantiis, mihi vera indicarunt) aliis propiora inventi & hinc admovi; ne dannes meam, tironis licet, audaciam; quid enim valet de toto & valet de parte: internos medicamentorum agendi modos perspectos nondum habemus, nec varias in humano corpore conditiones, quæ istorum vires modificant, nil ex omnibus his operationibus videmus nisi effectus, nondum stabilitæ sunt variæ Auctorum circa horum *causas* hypotheses; certo autem inter has primaria valet mixtio; hanc relative mihi maxime naturaliter sicut sensus; sequar itaque potius hosce, & favebo ipsi Naturæ, quam falsis quibusdam hujus interpretibus.

V. Positis ex certa stabilitaque lege affinitatibus medicamentum naturalibus ratione mixtionis, ex priori tunc ad affi-

nitates effectuum *sub iisdem conditionibus* inferre possum, nequaquam autem inverse ex similitudine effectuum ad affinitates naturales. Contrariæ enim vîrēs eâdem sëpè peragere queunt, quod perspicuum sane reddunt Olea unguinosa emollientia & Emetica ambo vomitum crientia.

VI. Sisto mea pharmaca secundum statum ipsorum naturalem, qualia quovis tempore in pharmacopoliis prostant, scilicet exsiccata, & qualia in corpus primo, quo ingeruntur, momento agunt, posthæc corpus reagit in ipsa, eaque vario modo modificat; (Cap. I. Sect. I. §. II.) & successione actionum & reactio-
num sensim sensimque unum ab altera commutatur. Si medica-
menta corporis viribus superatur, in partes defetifcentur;
varia exinde elicuntur ingredientia, pro cuiusque hominis or-
ganismo q) diversa; idem in varias simpliciores vires dis-
minatur, quæ singula humorum massæ deinde ingestæ vel
tragœdias vel salubres in ipsa operationes peragere incipiunt.
Qualia autem nova principia ex illis demum in corpore elaboren-
tur, quomodo idem in vario corpore & in varia tam
educta quam producta (longe alia quam quæ per nostra ex-
perimenta obtinentur, quoniam & aliis longe virium con-
sensus in ea agit) resolvatur, quorum dein singula pro sua
natura agant, æque minus prævidere est ad noviter tenta-
torum experimentorum successus; ita ut penitus hic ad ob-
servationes confugiendum.

q) Quales plantæ ex eodem solo, exquæ eodem aëre diversos succos nutritios sugunt. Sic & novimus ex physiologicis cuique homini esse peculiarem humorum indolem nonnisi à diversitate summe par-
ticulari organismi elaborantis deducendum.

92 X

VII. Si quis, ut certior fiat, an stabilitæ meæ affinitates re-vera per *experientiam* confirmentur, tentamina practica circa eas instituere velit; probe illum moneo, ne sub alia, nisi maxime naturali, nec per ullam præparationem alterata forma sua pharmaca ægrotis exhibeat, hæc quippe istorum insitas virtutes jamjam convariat. Multæ enim substantiæ aliquam de ipsis prædicatarum qualitatum partem præparationi sæpe debent, sub qua, ob varia contextus incommoda, nos ista propinare oportet, & ob quæ, nullo modo, in naturali statu ipsis propriæ, sed illæ modo, quas post præparationem acquisiverunt, virtutes ad nostram usque men-tem pervenire queunt. Hinc ex præparatorum pharmaco-rum effectibus ne concludas velim adversus ipsorum in na-turali statu comparatorum dispositionem.

VIII. Qui ex effectuum disparitate contra affinitates meas in Mappa stabilitas argumentari velit, consideret porro, quo-ties chemica experimenta ex minima mixtionis mutatione tam mire sæpe in diversos abeant effectus; ac ex horum analogia ad medicata phænomena concludat. Hæc quippe cum ipsis eandem causam agnoscunt, relationem scilicet mix-tionum: medicaminis ad corporis vel materiae morbificæ.

(Cap. I. S. I. §. II.)

IX. Qui consideret insuper, quam concinnum mea Mappa sit totius Naturæ extractum, & quam delicatulae humanæ stru-cturæ partes, facile perspiciet, quam differentes effectus, ad quasdam modo lineas dissita medicamina jamjam in no-stro corpore edere debeant; cum hæc eadem in Natura dif-ferentiam viginti forsan millium cujusvis elementi consti-tuant.

X. Spe-

X. Speciales medicamentorum in quædam individua corporis nostræ viscera, uterum, hepar, lienem &c. ut & contra particulares morbos, vires in tali Mappa ad maxime generalia modo respiciente nequaquam indicari potuere; nec illæ adeo certas & constantes ubique se gerunt. Ut enim in easdem partes per diversas causas sæpe idem producitur phænomenon, sic & per easdem vires, diversis partibus applicatas, in singulis quoque alijs evenire eventus, palam fit.

XI. De nullis similiter mentionem facio præparatis, hæc quippe sunt arbitraria, & per commixtionem cum aliis, vel chemicas encheires quodcumque medicamen e naturali vigore extollere & in longe aliam indolem transferre possumus.

Illorum vires porro facillime ex viribus simplicium ad ea receptorum erui possunt; nam in ea ratione, qua aliquod corpus aquam, vel aliam quamcunque substantiam, in suam mixtionem receperit, in ea & de hujus vi atque dotibus participabit; ideo ex decoctis aliisque præparationibus chemicis nil aliud creabitur, nisi compositio medicamenti, cum substantiæ, cui immixtum fuit, virtute nupti.

XII. Dum remediorum actio non modo pendeat ab ipsorum mixtionis ad nostrum corpus relatione, sed & à concursu virium tempore ingestionis in nobismet obtainientium, memores sint ii, qui medicamina ad varios morbos à plerisque & quidem maxime sæpe accreditis auctoribus venditata, cum empirica fiducia adhibere audent, quod *nisi eædem conditiones*, sub quibus illis prospere cesserint, & in suo casu *ad int.* medicamentum quoque pro harum differentia, suos effectus

Bb

commutet. Et sic pernoscitur vana eorum spes, qui, stabilitis & immutatis pro quoque morbo formulis, tanquam naturæ dictatores, eisdem ut nunquam rebellis legibus semper cedat, ex tripode quasi ipsi imperare conantur.

XIII. Cum tam multiplex itaque & infinite varius circa conditionum concursum lusus in natura obtinere possit, & cuique fere aliud specifice quasi adaptatum esse debeat, videmus, quam pauperem fortem nobis polliceri queamus, tam parco modo medicamentorum numero contra omnes morbos debellandos utendo.

XIV. Dantur porro & effectus secundarii, qui (qualia symptomata ex morbo) hic ex primaria ipsorum virtute progignuntur, nec nisi ægerrime observatori ipsi ab hacce possunt discerni. Hos omnino in tali mappa designari nequivisse nemo non videbit, fluunt autem tanquam corollaria ex iis, quæ ibi indicantur. In his dijudicandis effectibus adque sua principia causasque referendis, præ reliquis eximius fuit Clariss. SPIELMANNUS in sua classificatione generali.

XV. Tametsi vastus est totius materiæ campus, quantum tamen adhuc admittat augmentum, perspectum dant tot vacua, in mappa occurrentia; quæ ut per ulteriora inventa, à seculis futuris in medici tam commodum, quam salutis publicæ emolumentum olim repleantur, fausto omni sperare licet.

XVI. Si ex analysi experimentisque, quæ circa stabilitas meas affinitates institueris, argumenta mihi forsan opponas, quod duo corpora respectu mixtionis sibi non possint esse affinia, quia alia prorsus educta ac principia largiantur; opponam tibi: quod nequaquam hic ad specialiora quædam in-

gredientia, sed modo ad compositam vim ex omnium concur-
su oriundam, sit respiciendum: & hanc cum prioribus licet
singulatim diversis, in synthesi sua tamen omnino conspira-
re posse, chemica plura experimenta per diversissimas fæpe
encheires substantiarumque commixtiones ejusdem tamen
circiter mixtionis corpus continentia, testantur.

XVII. Dices insuper, ex stabilita tua elementorum propor-
tione minime adhuc delibanda mihi porrigis ingredientia cor-
porum chemica, ex quibus solis tamen agunt? Non agunt
similiter seorsim per vim cujuscunque ingredientis, quod
nos solitarium per analyses nostras extrahimus; sed agunt,
uti jam saepius dixi, ex omnium consensu, indeque surgen-
te composita vi, quam chemici nunquam determinant. Ea-
dem porro ingredientia, quæ à me indicanda petis, fin-
gula iterum aliqua quatuor elementorum proportione con-
stituuntur; dum autem hanc de toto expono; expono
& simul eandem de partibus, omnibusque quæ illud ingre-
diuntur principiis simul sumatis, sicque indico veram totius
compositam vim, mixtionemque naturalem.

XVIII. Solum, quo me adhuc cum aliqua veri specie forsan
arguere posses, argumentum est id: quod mea mappa non
indicit quædam principia, revera in corporibus latentia,
magni in praxi momenti, & quæ omnino in nostro corpore
ad effectus varios symbolam conferre possint. Sic camæmeli
florum, artemisiæ, abrotani, hyssopi amarities nullo modo
ex hoc loco dignosci poterunt. Sat diffita enim ab amaro-
rum regione. Acetosa, Acetosella, Sempervivum & Tamarin-
di ratione acidi quod vehunt, convenient, nullum tamen
vicinitatis commercium inter ea conspicitur, nec hæc qualitas

Bb 2

ullo verbulo indicata exhibetur: Vis Tamarisci & Corticis capparum adstringens nequaquam ex loco perspicitur: eheu! quantum intervallum Caryophyllatam inter & Rubiæ radicem stiptica aliqua virtute convenientes! quid ambrosiacam Orchidis, Menthæ, Sabinæ Rutæque qualitatem indigit? quid me tam de Lilii albi, quam Nymphææ fragranti sopianique, tam de Tanaceti, quam Matricariæ, quam denique de Hyssopi nidoroso principio reddet certiore? Unde cognoscam Nicotianæ vel Scillæ virtutem sæpe emeticam purgantem? &c. &c. Notes autem hic velim, quod antea de præstantia mappæ talis, in sistendis cunctis virium gradibus monueram, & sic ad hæc quoque applica. Ad vires enim semper est respiciendum, quæ maxima intensitate alicui corpori insunt, nec ad leviores, minorisque momenti. Etenim si ex singulis his characteribus vel proprietatibus, classes meas & distributionem genericam facere essem conatus, per infinitas tam generum quam specierum decussationes non nisi inepta produxissem; ex his quippe specialioribus dotibus nullus unquam ordo consurgere poterit, & alii inde forsan pharmaca secundum virium affinitates ordinanda deterriti horruerunt. Sed omnia in concreto simul consideranda, & quale, singulæ in substantiis detegendæ qualitates, conglutinatæ quasi & coarctatæ nobis largiantur compositum. Si enim aliquod ingeris simplex, non modo ejus leve soporosum, volatile, vel acidum, vel amarum, vel parumper adstringens ingeris principium, sed & reliqua hæc concebitantia simul cum ipsis eandem substantiam constituentia & hæc sat longe sæpe præponderantia. Ergo & alia, quæ adhuc adsunt, principia, cum istis in consortium trahenda,

ad

pro mutua, quam ad se invicem tenent proportione, rimanda,
& exinde demum oriunda composita vi pharmaco in mappa
stabiliendus est locus r). Si enim alia via processissim, indu-
bitanter in ea devia ruissem, in quæ historiæ naturalis syste-
matici, qui ex particularibus quibusdam characteribus suas
distribuerunt classes: nec ad habitus integri convenientiam

r) Sic Camæmeli sopiens, aromaticæ & antiseptica virtus amaram longe
superat, & eo quidem superpondio, quo ab hoc genere remotum.
Artemisia, Abrotanum, Hyssopus multo intensiora sunt aromata,
quam amara. Quot aliis ceteroquin dotibus differunt Acetosa cum
Acetosella à Sempervivo & Tamarindis, & quam inique in solius aci-
ditatis gratiam, reliquis præstantioribus qualitatibus neglectis, ea-
dem sibi vicina collocassem? Particularibus porro quorumdam prin-
cipiorum enarrationibus hic immorari, nefas fuisse, quisque mihi
concedet. Amara, parumperque resolvens Tamarisci; incidens si-
mulque magis aromaticæ Corticis Capparum virtutes quantum levio-
rem adstringentem præponderant; Eheu! quanto intervallo Caryo-
phallatæ & Rubiæ radices, respectu præstantiorum, quibus pollent,
virtutum iterum à se invicem distant! Vis Orchidis ambrosiaca la-
tet in levi principio odorato, vis ejus propria autem est emolliens
nutriensve: omnes autem dotes conspirant, ut Mentha, Sabina,
Rutaque inter Aromata referantur. Principium Liliorum alborum
& Nymphææ volatile, levissimum est simulque suave, nec cum
virulento illo, forti, penetrantique odore hypnoticorum unquam
comparandum! Similem quoque se gerit nidorosus tam Tanaceti, quam
Matricarie odor, ad totius plantæ effectus nonnulli tenuissimam vel
nullam forsitan symbolam conferens. Nicotianæ vel Scillæ vires e-
meticæ non sunt constantes, sed accidentariæ modo quales & aliarum
sæpe substantiarum.

Bb 3

respexere. Ex quibusdam porro relativis in nostrum gustum vel olfactum effectibus ne concludas cave ad vim *totius generalem*.

XIX. Si quis denique insurgat: Quanta juvenis audacia per tot secula à tot eruditis sapientibusque viris rejectum *Galeni* systema audacter iterum revocillandi! regero: Non propono hoc tanquam systema *Galeni*, sed tanquam meum, ne magnus ille vir vitiorum hic forsan occurrentium minutissimi alicujus culpam incurrat. Si enim ejus sententias tetigerim, si in profundissimis & obscurissimis naturæ penetralibus perscrutandis, cœcus ego & ab omni præcepta aliis auctoris (apud quorum nullum ne vestigium quoddam de tali Mappa exaranda secundumque quatuor Elementa ordinanda, nedum de Principio, quo corporum mixtiones relative, jam sensibus dignoscere discamus, occurrit) opinione liber, solum Naturæ nutum. (facillime observatione, meditatione & comparatione sapiendum), obsequens, in vias inciderim, quæ in iisdem jam à primævis exaratæ fuere; si per longe diversum tramitem cum alio præclarissimo viro, eadem forte fortuna sensisse contigerit, non contigit, quia tanquam optima Illius via, presso modo pede calcanda sua-debatur, sed quia cuncta systemata rimando, tentando, ac ad Naturam ipsam referendo, tandem aliquod mihi creavi, quod cum illa maxime consentire ex non evertenda argumentorum serie videbatur. Ejus enim trames me hucce ducere nunquam calluiisset, sic etenim per tot seculorum tractum jam multa illustriora acutioraque ingenia fecuro pede eo fuissent derivata, sed alia prorsus & nostro ævo confutanea principia, aliaque observationum, meditationum &

ratiociniorum sequela me eam indigitarunt. GALENUS quidem de qualitatum cardinalium miscela loquitur, nequam autem indicat rationem, qua in singulis substantiis eadem detegenda; sed ex sola notione, quod quælibet corpora ex iis constituantur, minime adhuc per idearum aliquam seriem, ad principium deduci potuissemus, esse sensibus dignoscenda. Galenus porro sedecim modo earum gradus admisit; quomodo autem hocce principium alicujus animum ciere potuisset, ut mappam aliquam construere tentaret, in qua tot variæ ipsarum statuerentur commissuræ, quot usurparentur medicamenta? Celebris itaque ille Auctor nequaquam mihi potuit esse index, sed sola observatio Naturæ. Sin autem hicce cœcutiverim, sin inepta tradidisse tibi sim visus, castiga me solum, sed intactas relinque cineres illius omni jure celebratissimi, nec unquam sat venerandi VIRI!

XX. Ob varia commoda nominibus adjeci quædam signa, quorum hic sensus:

- significant Exotica, ex alienis terræ partibus, Asia, Africa &c. pharmacopolis nostris accersa.
- ▷ Quæ ex Europæ plagis remotioribus, quales septentrionales, meridionales &c. nobis advehuntur, nostræque culturæ rebelles sunt.
- Exotica, nostris autem regionibus culta.
- Quæ habitant apud nos, vel in omni ceteroquin Europa temperata.

Allevandæ porro memoriæ gratia, quales vegetantium partes officinali usui inserviant, adjeci nomina fructus, radicis, foliorum florum &c.

C A P U T V.

D e Mappæ Usu & Applicatione.

S E C T . I.

§. I.

Quicunque ab hac Medicamentorum dispositione secundum relativam ipsorum mixtionem, nullum in Praxin redundare fructum forsitan autumaturus est, ille consideret, hanc distributionem solam esse, quæ ipsorum vires, harumque varias complicationes systematice tam sensui quam intellectui primo intuitu annunciare queat: docet enim (quantum per vires humanas enucleare adhucdum licebit) sat prope corporum mixtionem, ex hujus autem ad corpus, cui mederi tentas, relatione generalioribusque, quas de Materia Medica tenes, notiōnibus sat facile tibi eruere dabitur, quodnam, (si perspectam probe habeat tuam indicationem) cuicunque, quem intendis, effectui ^{s)} medicamentum optime respondeat, eisque prædicta sit qualitatibus, quæ ad ipsum producendum requirantur.

Dum

^{s)} Cum omnia enim in rerum natura phænomena à corporum viribus producantur, in sola mixtione delitescitibus & per plura modo vel rariora hujus vel alterius indolis elementa à se invicem discedentibus, necesse fuit, ut quascunque operationes & in Materia Medica producere me libeat, ad hæc modo respiciam & in Mappa mea eam proportionem perquiram, quæ cuicunque fini quam maxime satisfacere possit.

Dum enim illa methodus proportionem quatuor Elementorum inter medicamina relativam, quantum hæc non modo per Practicorum observationes, per castum ratiocinium, & chemica quædam generaliora experimenta, sed & per chemicum nostrum sensum nobis patefit, delineat, delineat quoque simul in quantum & quanam proportione plures genericæ vires in eodem pharmaco concurrent ¹⁾ & facillimo negotio dein *quæcunque indicata virium conspiratio* in *eodem simplici*, nec per prolixam formularum compagem, ægroto exhiberi poterit.

Dum sifit hæc Mappa singulas virtutum genericarum varia ratione in substantiis complicatarum differentias, dum sifit earundem in quatuor plagas degenerationes; facillimo negotio dein indicatas has vires pro quaue ætate, quacunque vel totius corporis vel partis alicujus particularis fibrarum compage, sexu, temperamento, irritabilitate &c. in praxi, summo cum emolumento applicare, Naturamque æque tuto tanquam minister sequi, ac tanquam magister pro lubitu dirigere, plicare & ad nutum tuum flectere poteris. Si enim tibi proficit subjeclum, e. gr. tenui, imbecillæ compagis, quod tibi suadeat indicatio per amara roborandum, non ad fortiora statim hujus generis, vomicam nucem, Centaurium minus, frangulæ Corticem, Aristolochiam, Simaroubam, fabas S. Ignatii, Anagallidem &c. celeri passu te accinges, hæc enim ipsius vires nimis intendendo non roborabunt, sed exhaustient; contra statim incipies permitiora, quæ systematam nervosum quam

¹⁾ ex lege, qua plus vel minus ab illis ex omni latere distant.

musculare intestinorum non nimium afficiant, nec debilitatem potius ex indole hostili, quam sanum functionum robur relinquant. Sin porro huic robori stimulum quendam addere velis, quo vires vitales magis excitentur, sanguinis circulatio magis intendatur, & languor à debilitate oriundus tollatur, eliges ex eodem genere aliquid principio aromatico magis præditum, versusque stimulans genus phlogisticamque plagam magis remotum, qualia forent e. gr. Absinthium, Lupulus, Aristolochia &c. nec ad fortiora stimulantia Aromatica simulque sanguinem multum exæstuantia configues. Cum autem mox dicta Amaro-Aromatica inter se iterum differant, non generalis de illis stabilienda est lex, sed pro quovis individuo casu caute sunt feligenda.

§. II.

Cum tota medendi doctrina eo nitatur, ut vel motus inordinatos refrenemus, vel nimis languidos paululum excitemus, præternaturalem solidorum dispositionem (qua justa cum reliquis vicinis sublata fuit harmonia) tollamus, vel vivitatem fluidorum mixtionem corrigamus, inque pristinum iterum cum reliquo corpore consensum reducamus; hæc autem infinitis modis a se invicem discrepant, irritaque semper fuerint circa has res regulæ generales; absolute cognitu necessariæ evadunt medicamentorum mixtiones cum omnibus & singulis suis differentiis specificis, ut ex tota ipsorum farragine illud præcipue in quoque individuo statu eligere, cuius præ reliquis virtus ipsi specificè quasi conveniat, & sic cito, tuto jucundeque, curare possumus.

Sisto itaque singulorum medicamentorum ratione suæ

mixtionis differentias specificas, quosnam autem effectus relativos hæ ipsæ in singulis ad infinitum iterum differentibus casibus portendant, nullæ doctrinæ generalioribusque legibus subjiciendi nec ab ullo vel sagacissimo auctore abstracte determinandi erunt, sed proprio cūjusvis *practicō* *judicio* ubivis committendi.

Hoc scilicet tunc conferat observationes clinicas cūm statu, cui mederi debet, præsenti, seu quod idem est, referat mixtionem medicamenti (quod in eodem morbo observatoris voto cessit) in Mappa indicatam ad conditiones ibidem tunc morbum comitantes & in ea ratione, qua illæ à suis nunc in ægro præsentibus circumstantiis differant, eligat alius mixtio-
nis medicamentum. Ad prosperum tales delectum nosse pla-
ne sufficiat, quod ea lege, qua quodque medicamen à cardi-
nalibus punctis distet, in se quoque comprehendat vires qua-
tuor elementorum simplices; ex cognitione igitur effectus,
quem quodvis horum purum in nostrum corpus edat, conclu-
dendum est ad vim, quam quæque eorundem mixtio iterum
in nos exferat. Hæc enim semper erit intermedia inter vires
Elementorum naturales in ea ratione alicui harum accedens,
quo plura talia elementa vehat; sic quæ versus principium in-
flammabile remotiora stant, magis stimulant, commovent,
calefaciunt, irritantve, convenientque præcipue morbis causæ
frigidæ debitibus; quæ terram versus, roborant, & fibræ majo-
rem soliditatem, sanguinique majorem spissitudinem terre-
strem conciliant; hinc debilioribus, mollibus, phlegmaticis &
fibris ex aquæ abundantia debilibus, conducunt. Quæ aquam
simulque phlogiston versus reposita conspicuntur, satius resol-
vunt, solida, robusta ac spissa sanguinemque reddunt fluidio-

Cc 2

rem; quæ dein aëreæ plagæ magis cum aquæ se appropinquant, & magis emolliunt magisve nostræ indoli humanæ accidunt, quo propius enim aliquod medicamen alicui plagæ, eo intensius quoque ejus principii viribus Elementaribus datum. Eadem, quæ sic in distributione virium generica erit observanda, lex & locum habet in quibusunque horum generum speciebus; ita ut, quo magis quodlibet individuum medicamentum phlogiston versus vergat, eo majorem quoque hujus elementi copiam vehat, penetret, acreve sit; quo magis versus aquam, eo potius hujus Elementi naturales vires participet, resolvat &c. sicque per omnes quatuor plagas idem observabis.

Hæ virtutes itaque quatuor cardinales tibi viam declarant, qua cuiusvis medicaminis vim absolutam facile dignoscere callebis; coadunet enim tuum ratiocinium istas in compositam vim, quæ in quoque pharmaco ad qualitatem unamquamque primariam accedit, in ratione directa, qua illud isti in Mappa plagiæ vicinum *u*); ex hac non solum, sed & ægri tui temperie, morbi sede, materiæ morbificæ indole, &c. rite perspectis; pro conditionibus, in tuo subiecto variantibus, statim inferre

u) In dijudicanda enim Mappa, adque varios usus practicos applicanda, ad proportionem quatuor Elementorum simul sumtorum respiendum, & ad concretam quadruplam vim, quæ ex eorum varia congerie oriatur, nec ad solitaria quedam elementa. Resinæ enim phlogistæ licet sat propinquæ, non hoc quidem solo Elemento sed & aliqua terræ, majori aquæ, minorique aëris portione componuntur, sic Aromata largiore præ his vehunt terram, mitiorem aquam, mitiusque principium inflammabile & sic de reliquis.

poteris, qua mappali distantia tuum ab observatoris remedio in quoque casu differre debeat. Vel si plura contra eundem morbum venditantur, ex mixtione, quam tibi de singulis Mappa indicat, cognitis primariis illis qualitatibus, indeque deducta composita vi Chemica in illis prædicatis dominante, facile tibi eruere dabitur, quænam ex eorundem catalogo mixtio, tuo nunc iterum casui præcipue possit prodesse.

Fuit hinc mihi mens tabulam aliquam generaliori usui adaptandi, qua prudens Medicus, omnino tota nostra doctrina uberrime imbutus, & heroicæ artis nostræ principiis armatus ad omnes qualescumque status posset uti, nec hinc specialiores quorundam Materiæ Medicæ scriptorum indicationes consecutus sum, qui suas pharmacorum classes pro similibus, quos in particularibus quibusdam affectionibus agunt, effectibus, ordinarunt; sic statuerunt classem eorum, quæ vermes expellant ^{x)} stomacho, hepati, nervis, lieni, utero &c. prosint, quæ menses provocent, diuresin excitent &c. sed cum hæc eadem medicamina in aliis iterum morbis diversas longe agant actiones, ex priori doctrina nonnisi ægerrime derivandas, ex his specialibus relationibus nullus exsurgit ordo generalioribus rerum cognitionibus favens, & prima, ex quibus qualiacunque se gerant, principia illustrans. Hinc & Celeberrimi SPIELMANNI ductum fecutus sum, qui omnes illos tam diversissimos sæpe effectus ab una eademque causa tam sagacissime derivare noverat.

^{x)} Licet hoc per diversissima principia effici poterit.

§ III.

Quum cujuscunque hominis humores per specificum suum organismum alia ratione elaborentur ac per alterius, & hinc, quod alteri homogeneous, alteri prorsus heterogeneous vel saltet magis alienum esse possit, cum porro in diversis hominibus materiae, quae eundem morbum prognunt, inter se item diversissimae esse possint; (qualis e. gr. podagra materies pro varia individui dispositione, vel in calculum degenerat, vel athriticos dolores excitat vel rheumatismum *y*), omnino hinc necesse duco, differentias illas medicamentorum specificas rite perspectas tenere, ut exactissime, quid cuicunque individuo casui & materiae morbificae indoli praeparatis sit aptum, determinare atque probe inquirere calleamus. Iltis enim morborum somitibus ad infinitum variantibus nequaquam generalis opponi poterit obex, earumque debellatio ad nullius generalis regulae normam succedet (*sic enim ubicunque triumpharemus*) sed hic apprime necessaria evadit Mappa, ut pro singulis casibus statim illud ex ea eligere queamus, quod singulis praet reliquis quam maxime respondeat: *sic e. gr. pro vario spissitudinis genere exigitur & aliud resolvens *z**). Sic omnino constat, ea, quae majorem aquae quantitatem cum huic analogis ingredientibus, mucilagine, gelatina &c. vehunt, relaxare ac emollire, sed id simul quoque observandum,

*y) Sed dices: hujus differentiae causam latere potius in organismi dispositione, quam in ipsius materiei indole; regero: sed nonne per differentem organismum & alia indoles conciliatur humori? *x**

z) SPIELMANNI Mat. Med. p. 530.

quod & pro vario individuo specialique casu, determinata modo aquæ quantitas in adhibitorum pharmacorum mixtione debeat ingeri, superflua quippe partem potius debilitat, & salubrium eventuum loco, morbos à laxitate fibrarum oriundos prodere potest. Sic dantur casus, ubi quæ plurem aquam vehunt, qualia e. gr. Nymphææ, Aquilegiæ, Lilii albi flores, violarum folia, tanquam nimis relaxantia nocerent; quæ minus illius elementi velunt, violarum, scilicet Aquilegiæ, Altheæ, Malvæ, vel violarum semina prodeßent. Sic probe, quomodo ad mixtionum varios gradus in Praxi, præcipueque in morbis acutis respiciendum sit, perspicitur, quippe quorum levissimæ sæpe varietates, inopinatas effectu mutationes producere queunt. Eadem hic veritas obtinet quam de levissima dosum differentia, maxime sæpe oppositos effectus generante, vix non omnes Medicæ artis tirones norunt. Nostri solum principium inflammabile auctum, Hypnotica inter & Narcotica phænomena totam constituere differentiam (Cap. III. S. II. §. X.)

Quales circa Purgantia sat perceptibiles differentiæ animadvertisuntur, dum ex illis in altero casu, specifica, præ Resinosis, in altero præ his iterum Eccoprotica propinamus, vel ex primis mox Rhabarbarum, mox Colocynthidis pulpa, mox iterum Persicorum flores optime nostrum scopum intendunt, (singula enim specifice iterum à se diversa) tales quoque omnino circa alias generis species Amarorum, Adstringentium, Aromatum &c. obtainere debent, ut unum cum majori præ altero fructu in multifario casu usurpetur (pinguedinosa e. gr. sæpe præ mucilaginosis &c.) sed quantum felicem praxin juyet, has singulas virium disparitates ad quemlibet casum in

promptu tenere, vestrum iterum erit, Celeberrimi Practici,
ut mecum afferatis.

Sed ajes forsan: non opus est nosse singulos hos virium gradus, dum enim medicamentum fortius opto, propono debilius in majori dosi; si mitius, fortius minori, & sic in eundem effectum conspirabunt. Minime. Nam à minimis sæpe dosibus gravissima jam suscitata fuere mala, & in priori casu, cum largiori tua dosi plura quoque inertia ingeres, quæ ventriculo & intestinis oneri, ægroto nauseæ, & omnium functionum vires aggravando, valetudini sæpe nimis cara evadere queunt.

Sat forte nos semper in Materia Medica, ejusque ad quemcunque morbum applicatione nos strinxit vinculum, ut virium infinite inter se complicatarum specificas differentias distinctissime nequaquam verbis discriminare per horum egestatem nobis contigerit. Hunc defectum autem præ ulla alia re Mappa mea, absque ut novam Terminologiam invenisse coacti simus, supplere mihi videtur.

§. IV.

Cum, uti jam Cap. I. Sect. I. §. II. & III. monueram, quæcunque, quas de medicaminibus observamus, operationes, ex relatione modo sua ad individuum, cui applicata fuere, causum, tales se gesserint, & in alio, iterum in alias partes abierint, applicationis scopo ad summe particulares morbosos status, vix quedam generales regulæ erunt tradendæ, ut enim effectum quendam explicemus, vel consulamus quidnam in quoque casu vel noceat vel proficuum sit, non sufficit modo, ut

ut pharmacorum absolutas vires perspectas teneamus, sed & ægroti temperamentum, materiæ morbificæ natura, fedes morbi, in genere consensus singularum virium in illo individuo tunc activarum, probe nobis sunt consulenda, & tunc demum abire poterimus in Mappam, exque illa per medica nostra principia depromere, quodnam medicamentum illa præcise specifica virtute sit condonatum, quam suaferat nobis indicatio. Et tunc demum quam maxime hujus Mappæ fructum persentisces, quum tibi singulorum tam multiplicium pharmacorum differentias specificas uno ictu ob oculos ponet, quas in nullo alio libro ita distinctas reperies, ut non nisi selectus ipsorum tibi supersit. Mappæ igitur applicationem ad ægrotorum lectulos fatius in concreto perfici, quam abstracte in generaliori tali tractatione, nemo non videt.

Non modo porro respiciendum est ad ægroti ætatem, temperamentum, conditionesque per totius morbi decursum constantes, quo minus alicujus remedii ab Auctoribus contra aliquem morbum venditatæ vires famæ suæ non semper respondeant, non impediunt hæ solæ, sed & de die ad diem in morboſo ſtatu continuo alterati tam animales quam vitales motus, qui omnino ſæpe maximas nostræ curæ movent turbas ^{a)}. Materia porro morbifica in toto morbi progressu per virium internarum anomaliam alia ſemper atque alia, vel acrior, vel mitior, vel ſpiſſior, vel tenuior elaborata, multæ-

^{a)} Aurea eſt regula Celeb. HOFFMANNI Med. Rat. Syst. T. IV. P. I. p. 366. „Omnis medendi methodus nititur exacta discretione „non modo morbi ejusque cauſarum, ſed & individuorum, circumſtantiarum & quoque temporum.“

que tandem aliæ conditiones differentiam talem temporaneam procreantes faciunt, ut qui effectus hodie ab aliquo erat productus, à simili altero die non amplius talis successorus sit, eademque hinc omnem generalium legum præscriptionem nobis plane tollunt. Ut itaque nil aliud superstet, nisi determinatio affinitatum naturalium ex constanti ipsorum mixtione stabilitarum, ex qua doceamur, quomodo & in quali scala cum successivis in corpore mutationibus & nostra quoque singulis opposita remedia mutare debeamus.

Indicat ergo mea Mappa affinitates modo virium medicarum, in tantum, quantum à mixtione pharmacorum pendent, quantum autem à reliquis conditionum varietatibus in corpore tempore applicationis simul obtinentibus illæ sint derivandæ, nunquam sane poterunt determinari; iisdem ergo *conditionibus* præsentibus, medicamina in eadem ratione diversas agent operationes, qua à se invicem in Mappa remota; & vice versa ejusdem pharmaci effectus in ea iterum scala erunt diversi, ac conditiones in duobus subjectis à se mutuo recentent. Licet quidem valde anceps sit quæcunque generalis assertio, tamen ejusmodi quid forsan nobis conceditur. Tentamus hoc paragrapho sequenti.

§. V.

Applicatio ad morbos.

Cuique morbo est certa quædam indoles, cuique materiae morbificæ certa quædam mixtio; hanc ultimam autem vel à totius corporis, vel saltem alicujus ejusdem, (in qua subsidet) partis mixtione longe distare, inficias nemo forsan iturus est.

BC

Nemo id iterum negabit, quod ab hac sola mixtionum differentia omnes qualescumque morbos motus, actiones reactio-nesque excitentur: cur enim nutrientia, panis e. gr. corpori ingestus non nisi salutares (viribus sanis) portendit eventus? omnino, quia particulis tam mucilaginosis quam ad animalem naturam accendentibus b) constat, nostræ mixtioni sat multum analogis.

Quæcunque ergo vires, nostræ machinæ harmoniam functionesque vel destruunt vel faltem debilitant, ab ejusdem mixtione plane aliena esse videntur; & quidem eo magis, quo magis hostiles sese exhibeant, uti jam (C. III. S. II. §. XVI.) monueram. Cur itaque plura venena in quasdam præcipue præ aliis, partes sœviunt? virus venereum in mucum pinguedinemve? scorbutica acrimonia in subtiliores modo humores &c.? videtur (ex priori principio) ideo, quia fluidorum horum mixtio præ reliquis forsan alienior est illius morbificæ causæ mixtioni; ex qua differentia oritur effectus compositus ab amborum actione vel commixtione, qui & illa fluida præ aliis magis à fano suo statu recedere facit.

Cum enim quicunque morbi sint recessiones ab hocce, in ea quoque parte præcipue damna persentiscere debemus, quæ ab eodem maxime recedit, quo magis autem hoc ultimum fiat, eo magis quoque concludere debemus ad contrarietatem vis ipsam sic modificantis.

Qualia itaque ex mutua relatione materiæ morbificæ, ad humanum corpus, derivanda videntur morbosæ phænomena, talis quoque ex eadem relatione medicamenti rite electi ad materiæ morbificæ mixtionem regni videtur (mediantibus na-

b) ex Observat. BECCARIE, KESSELMAYERI &c.

turæ viribus) pristinus sanitatis status. Indole igitur cuius-
cunque hostis morbum sufflaminantis, à Medico rite perspe-
cta, ut in optimam sanitatem iterum revocetur ægrotus; nil
supereft, nisi ut ex Medicamentorum farragine ea eligamus,
quorum natura vel mixtio talem semper ad materiam morbificam
gerat relationem, qualis requiritur, ut hujus vires debili-
tari, destrui inque naturalem tramitem reponi possint. Hæc
autem semper fiunt *per oppositorum Elementorum proportionem c).*
Ut itaque hanc Mappam prudenter ad Practica queas applicare,
requiritur, ut primo perspectam teneas materiæ morbificæ in-
dolem naturamve ex effectibus, quos tibi in parte maxime
affecta sifit: dein ut ex hac Mappa illud depromas medica-
mentum, quod priori è diametro maxime sit oppositum, ex
hac enim oppositione ejusdem vires ita mutilabis infringesque,
ut corpori humano minus saltem evadant heterogeneæ, ni
prorsus justam iterum harmoniam restituere possis. Lex hæc
persupra dicta jam satius, ut mihi videtur, fuit illustrata. Sic
animadvertisimus, acrimoniam quamcunque per elementa ipsi
opposita debellari. Phlogisticam tollimus in inflammationibus,
combustionibus &c. per Emollientia plurem aërem phlogistæ
oppolitum vehentia, acidam (principio inflammabili aquæ
immixto) debitam, per contraria his elementa, terram nem-
pe cum aëre in absorbentibus latitantes; alcalinam iterum per
acida è regione opposita deprompta, sicque de reliquis eadem
fane lex obtinebit. Sin porro idem morbi fomes nulla ratione

c) „Maximum cuique remedium est, quod oppositum illi causæ, unde originem duxerit ille morbus.“ BÆRHAAVE de curandis & cognoscendis morbis Aphor. 1280.

possit corrigi, indicatio jubebit, ut eundem primo ad excretionem præparemus, digeramus, resolvamus, incidamus, demulceamus &c. tuncque corpus humanum ita disponamus, ut vel propriis viribus, (quas ipsi roborantibus conciliaverimus) illum critice excernere vel versus debita emunctoria, quo eundem derivamus, repercutere possit. His punctis tota absolvitur medendi ratio & his iisdem probe fane mea Mappa satisfacit.

§. VI.

Ratio, qua motus naturales per totum morbi decursum medicamentorum ope ex se invicem derivantur, ad curæ bonitatem præstantiamque quidem nil confert, dummodo Medicus unum ex altero ita dirigere norit, ut per successionem suam tandem in justam functionem harmoniam, solum sanitatis legem *d)* ultimumque medelæ finem, radiorum ad instar conspirent. Hinc observatum fuit, contrarias sæpe medendi methodos, sed per varias motuum in corpore excitatorum *consecutiones* tandem in eundem finem conspirasse; ita ut diversis licet Practicorum circa hunc vel alterum morbum opinionibus systematibusve, tamen annuente fortuna ipsis sæpe contigerit cum æquo successu ægrotum periclis eripere, sed, quod probe notandum, cum vario temporis (quod hic magni ducendum) dispendio. Cum autem Medici sit, de corio humano non ludere, sed omnia intendere, ut tempori parcat, ea quoque jubar medicamenta adhibere, quæ per mixtionem suam specificam casui jam ita sint adaptata, ut promptissime motus in-

d) GAUB. Instit. Pathol.

nes refrent, partesque affectas in eum iterum statum redigant, qui harmoniae quam maxime consentaneus. Hic delegatus autem nullo modo fieri poterit, nisi cognita prius differentia, quæ inter singula medicamenta ratione mixtionis intercedit, specifica, qua cognita demum id præprimis ex eorum farragine eligi possit, quod debito alicujus virtutis gradu, vel ea præcise plurium virium commissura sit præditum, quæ quemque defectum momento subvertat, partesque ita disponat, ut omnia heterogenea à se repellant, vel vires naturæ medicatrices incitando ita roboret, ut malefanos inordinatosque motus subigere, inque plenarium integratatis statum cuncta revertere possint.

Huic autem remediorum delectui, cui omnis forsitan innitur practica fors, si quæ ulla res, maxime mea Mappa præbet ansas; singulorum quippe speciales differentias, virtutumque quæ in quoque varia ratione associatae, commissuras, cum inde surgente composita vi, primo intuitu, cuivis, qui & causæ & sedis & medendi methodi perspectam tenet ideam, ob oculos pingens.

Quum gradus porro morborum in variis individuis sint varii, ut quæque remedia cuique istorum maxime congrua, primo statim aspectu eligi queant, varii quoque gradus, quibus quodque genericæ suæ virtutis est particeps, vel alii iterum affinius ibidem sicutuntur, ut ad omnes vel minimas & subtilissimas statuum morbosorum disparitates, quælibet vis ex sua natura & relatione speciali, singulis respondens desumi, cumque fausto successu iis queat applicari. Hi gradus non modo non ab Auctòribus tractantur, sed & cum necessitas urget raptim debita præscribendi, pluribus ingrata memoria fæpissime

vacillat, nec præcise semper ea porrigit pharmaca, quæ optatis viribus sint munitæ, hinc illi succurrendum, has differentias gradusve oculo proponendo.

Si quid unquam itaque Medici judicium reliquasque de remedica cognitiones, ut fausto demum omne applicentur illeque cito, tuto & jucunde, curare possit, levat, præstat id certe hæc Mappa. In illis enim casibus, ubi vel morbi vel morbificæ materiæ indole rite perspectis, quinam hic virtutis gradus maxime conveniret, quidam sapiet, sed non flatim mentisuccurrit, quidnam præprimis medicamentum desiderata præ aliis armatum sit qualitate, imperturbatus adeat Mappam, exque singulis ibi exhibitis virtutum differentiis vel commissuris, eligat eam, quæ suæ ideæ præ aliis maximopere respondeat.

Eiusdem generis porro remedia in scala à se invicem difcedunt, sed quodvis aliquid proprii habet, vel largiori terræ, vel phlogistæ, vel aquæ, vel aëri debitum, quodque nec verbis unquam describi, nec alia nisi mappali methodo tam sensibus quam intellectui tanta facilitate exhiberi potuisset.

§. VII.

Quum autem adhucdum ignoremus; ajes forsitan, quomodo hæ in Mappa stabilitæ mixtiones relative nostrum in corpus agant, quid bonæ frugis ex earum cognitione ad practicam artem exspectandum? quid in utilitatis publicæ gratiam redundabit ex notitia, an quoddam præ altero corpus plus principii inflammabilis, an plus terræ &c. vehat? quid refert has nugas & subtilissimas distinctiones perspectas tenere, & inutile tam iis stabiliendis, quam discernendis, quam iterum ediscendis terere tempus? quid enim præstat vires corporum

absolutas nosse, dum ignoremus relatives; sed haec omnino jam notae perstant; adhibita sunt pharmaca per innumeram experimentorum seriem ad varia corpora, varios eorundem statutus morbosve, quæque ibi suscitaverint phænomena fuerunt tentata; nonne uberrima, quæ de singulis fere prostant, observata experimentaque sat clare te docent, quomodo illæ vires absolutæ ad individuos casus se gerant relatives? Compara ista cum singulorum pharmacorum in Mappa indicata mixtione, perspicias effectum causam, disces, qua lege quæque proportio quatuor elementorum, mixtio, seu vis absoluta in determinatis quibusdam relationibus se gerat, exindeque deduces per analogiam generaliores regulas ex quibus postea cognitæ cujuscunque mixtionis statim ex priori effecta, in similibus casibus relativa, poteris hariolari.

Eundem porro ex diverso in Mappa, mixtionum indicio, fructum, qualem per totum philosophiae ambitum ex notitia causarum ad explicandos effectus carpimus. Quomodo enim in Practicis observata phænomena rite saneque derivaveris, si causas horum primarias ignores, vires scilicet cujusque remedii absolutas, in mixtione latitantes. Sed falsissimum est, nullius esse usus scientiam causarum, e quibus medicamentorum facultates fluunt, imo nil magis est necessarium tum ad componenda medicamina, tum ad ipsam methodicam curationem, quæ his sublatis protinus corruit. Neque videt Celeb. SCHELHAMMERUS e) qui possumus, ipsis neglectis, empiricorum imperitissimorum nomen effugere,

aut

e) Additamentis ad CONRINGII Introd. in univ. artem medicam. Cap. VIII. §. IV. p. 270.

aut dogmaticorum amplius tueri. Paulo superius ait idem: *Ex causis scilicet discitur modus agendi, ex modo agendi collato ad causam morbi, quando hoc remedium aut quando illud ex usu sit, dignoscitur: Exemplo rem declarabimus.* In imbecillitate ventriculi notum est commendari amara, acida, salsa volatilia, aromaticæ, spirituosa & terrea: id est tantum non omnia. Hæc cum sint naturæ diversissima, quis scire potest, quando amara sint adhibenda, nisi scias, quomodo agant in ventriculo? quomodo vero id scias, nisi amarorum naturam intimius habeas perspectam! Idem de reliquis esto judicium.

Cognitis ergo, tanquam causa omniumque effectuum basi, virtutibus medicamentorum absolutis ex Mappa, relativis autem ex observationibus à celeberrimis auctoribus per tot secula factis (& quas sat concinne atque nervose ex omni Medicinæ ævo collegit Celeb. RUTTY f) offeruntur tibi cuncta, quæ ad sanam Materiæ Medicæ doctrinam, ad naturalem de effectibus philosophiam, atque faustam dein prudentemque praxin conferre poterunt puncta.

S E C T I O II.

Præscribendis sanis formulis summam fert
opem.

§. I.

Quum plures vel contrarie, vel non multum sibi cognatae vires (qualia e. gr. Irritantia cum Emollientibus) se mutuo

f) Materia Medica antiqua & nova repurgata & illustrata, Opus XL.
annorum. Lond. 4. 1775.

destruant, nec inde aliquod emolumentum in ægrorum salutem redundare queat, insanus ille formulas ad infinitum compositas confarcinandi modus, defectui cognitionis debitus, quales nimur gradus, differentias à reliquis congeneribus specificas, & virium in eodem sæpe subiecto reperiendarum commissuras, medicamenta inter se teneant, hac quoque Mappa tollitur omnino; quippe quæ, qualemcunque compositam vim olim per longas pharmacorum combinationes obtinere coacti fuimus, nunc in uno eodemque simpliciori repe riundam, nos edocet.

Quanta autem virium varietas ex formulis adeo complicatis exsurgat, colligere datur ex dictis Celeb. GAUBII g) circa formulas in genere. Quid itaque de commixtione tam variæ & sæpe *oppositæ indolis* medicamentorum sit statuendum, ex priori æque, scilicet Chemicis experimentis, ac posteriori, ex infausto incongruarum formularum successu, nimis sæpe à quibusdam Practicis observato, eluiscit. Ita ut, quum *compositam vim* ex quacunque combinatione simplicium, diversi ordinis, diversæque virtutis perinde electorum oriundam adhucdum nec ex calculo nec ex quadam theoria ad tantam fidem perducere potuerimus, quanta præstabilidæ spei sufficeret, non nisi temere, novas, nullaque adhuc felicis eventus auctoritate suffultas, confarcinari formulas asserere liceat, quæ ni à peritissimo & omni chemica doctrina imbutissimo medico, cum omni ratiocinio atque cautelis componantur, auxiliī spem fallere potius, quam promovere, nemini non verosimile potest videri. Hinc simplicibus semper

g) Libro de methodo concinnandi formulas Medicamentorum.

uti præstat, quorum effectus per innumeras seculorum obser-
vationes stabiliti sunt, nec ad formulas compositas transgredi;
nisi quum vel nulla ratione illa in statu naturali sint propi-
nanda, vel nullum profet simplex, ea virtutum commissura
munitum, quam tuus scopus exposcit.

Ne à pharmaceuticis præparationibus unquam similes eis,
quos singula ipsarum ingredientia seorsim edunt, effectus ex-
spectes. Hæc enim tunc in unam massam confusa conspira-
bunt in compositam vim, inter singula ipsorum, pro cuius-
cunque dosi, proportione, & virium analogia medium (qua-
lem nulla non chemica corpora sibi commixta edunt): ita
ut nequaquam tam levis indaginis sit, illam de quaue formu-
la determinare, & ad activam hujus virtutem aliquid inferre.
Siste enim tibi, quæsio, proportionem elementorum quale-
cunque medicamentum simplex formulam ingrediens consti-
tuentium, multiplica hanc in quoque cum pondere quo illam
ingredi debet, circiter adde ex hisce productis homogenea
elementa homogeneis, terrestria terrestribus, aquosa aquo-
sis &c. & sic tandem obtinebis proportionem elementorum
totam tuam formulam constituentium: hæc proportio summa-
ria tibi demum fistit vim ipsius absolutam, quæ denuo tuo ju-
dicio committenda, ut fausto omne fiat relativa. Quantum
autem oneris ingenio, imaginationi, & ratiocinio ex tanta
combinationum serie increbat, nullus est qui non mecum
perfentiscat.

§. II.

Si porro tentatum aliquod medicamentum suo voto non
penitus satisfecerit, ex effectu, qualiscunque hic fuerit, statim

Ee 2

concludere poteris ad aliud, quod nunc eligendum sit, ut prosperius omnia cedant; & sic indicabitur in quamnam igitur Mappæ regionem tibi sit abeundum. Sic si emolliens propinaveris, ex quo in pejus cuncta conversa fuerint, concludes, aliud ex oppolita plaga necessario prodeesse debere, & propinabis tunc amarum, vel aroma, vel adstringens, quale conditiones admittant. Vel si aliquid cujusdam generis aliquantulum modo profuerit, sed improba simul quædam reliquerit, calorem, cephalalgiam, intensiores vires vitales &c. sapienti tibi jam sat, ut eruas, ex quanam igitur plaga tunc tam huic malo iterum subveniendum, quam aliud depromendum, quod eadem & quidem melius præstet, salvis prioribus incommodis.

§. III.

Summam porro lucem curarum tuarum scale affert, ita ut si sensim sensimque à debilibus per fortiora tuum morbum vel ægroti vires aggredi necesse ducas; hujus Mappæ ope in omnes virium gradus plagas tibi necessarias, divergere valeas, ideoque summa cum certitudine ægroti statum, paulatim eo derivare, plicareve, fias potis, quo suæ saluti gradatim magis appropinquet.

§. IV.


Sensu illo ad subtilissimum discrimen intenso, ut tanquam artis magister omni reliquo judicio penitus carere possit, methodus hæc, totam Materiam Medicam ex priori & habitu Chemicō demonstrandi, est forsan ea, quæ, quocunque novum remedium tentare velis, per solam ipsius ad hanc Mapam relationem, statim prognosticon futuri eventus tibi secu-

ro omine indicabit: nota enim mixtione ad vicina relativa, ex horum virtute, ad istius per analogiam concludere, tibi sane licebit. Non amplius ergo tua fama erit fortunæ lusus, non amplius tot ægroti tuorum tentaminum viçtimæ, non amplius nostra ars in vanis conjecturis titutabit, sed plenaria lux omnes nostros conatus quaquaversus collustrabit.


§. V.

Faxit itaque absolutas illas medicamentorum vires quisque Medicus, ad quemque morbum, quodvis subiectum, temperamentum, quamque ætatem, individui indolem ac conditiones, contra cuiusvis hostis morbifici vel subdolas vel aperatas insidias, in universum contra denique qualemcumque in nostra machina sublatam harmoniam, & suæ famæ & civium saluti, annuente prudentia, relativas. Curetque probe, ipse ut valeat.)

F I N I S.



Excudit JOH. HEINR. HEITZ, Acad. Typogr.



ASTICÀ

*Armoraciae
Rad.*

PHLOGISTON.

*adde
Therobinth. Venet.*

Aeris **TICÀ** *Lam.*
sem.
Calotropis. Sol.
n { *TICÀ*
ns

Tilia.

CÀ

AQUA

B

adde
Ol. Olearum
Ol. Lini
Ol. Amygdal.
Ol. Nic. Behen
Ol. Nic. Jugl.
Ol. Ovisorum
Ol. Lacertarum
Lac

AER

L.M. Schmidt sc. Nor.



PHLOGISTON.

